



00
Da.





LAVRENTII REINHARDI

INSTITUTIONES

STYLI
LATINI.

ACCESSIONES

ORATIONES DVAE

DE

INCREMENTIS, QVÆ LA-
TINA ET GRÆCA PHILOLOGIA IN
GERMANIA SÆCVLO XVIII,

CEPIT, Volkmarus Conradus
ET TOTIDEM Brodtkorb
1729. coriol

PROGRAMMATA

49.

SELECTI ARGUMENTI.

ERFURTI & LIPSIAE,

M DCC XXVIII.



1000 REINHOLD

SEMONDUS

ILYTA

ILYTA

25 DABE

UNIVERSITÄT
HALLE
SALOON
TURM
LIBRARY
GERMANIA SECRETARIO ZARIN



CEPIL

ET TOTIDEM

1775 12
1775 12
1775 12

1775 12

1775 12

Viro Illustri

**JO. WILHELMO
BERGERO,**

Invictissimi augustissimique Ro-
manorum Imperatoris

nec non
Potentissimi Poloniarum regis
& Principis electoris Saxoniae
Confiliario,

&

Eloquentiae in academia Wit-
tembergensi Professori
ordinario,

A 2

&

Viris amplissimis
**CHRISTIANO
GOTTLIBIO
SCHWARZIO,**

Eloquentiæ, philosophiæ mora-
lis & poeseos in academia Altdorfina
professori ordinario,

**ERHARDO REV-
SCHIO,**
Eloquentiæ in academia Julia
professori ordinario,

JO. MICHAELI
HALLWACHSIO,

Eloquentiæ, Historiarum & Poet.
icos in academia Tübingensi
Professori Ordinario,

JO. GOTTLIBIO
KRAVSIO,

Eloquentiæ in academia Wit-
tembergensi Professori extraordi-
nario,

JO. ERHARDO
KAPPIO,

Eloquentiæ in academia Lipsi-
ensi Professori extraordinario,

JO. MATTHIÆ
GESNERO,

Qui Sereniss. Duc. Saxo-Vinar.
thesauros rei librariæ & nummariæ
fidelissime curat, & in Ill. Gymn. Vin.
Conrectoris munere præclare
fungitur,

JO. HENRICO
KROMAYERO,

Amplissimo celeberrimorum
Philosophorum Jenensium ordini
adscripto,

has

styli Latini

institutiones

dat, dicat, dedicat

Laurentius Reinhardus.

A 4

VIRI
CELEBERRIMI,
PRÆSTANTISSIMI
LATINÆ LINGVÆ MAGISTRI!

Opera VESTRA, quam
in restituendo nati-
vo priscæ Latinitatis nito-
re semper fixistis, fama
per universam, qua patet,
Europam celebrata est:
quo factum, ut singulari
VOS ego honore iamdu-
dum prosecutus sim, &
præclara VESTRA, qui-
bus rem litterariam adhuc
ornavistis, merita magni
fecerim. Quoniam ita-
que

que styli Latini institutio-
nes, utilitati iuventutis
Romani sermonis studio-
sæ a me consecratæ, in pu-
blicam nunc emittuntur
lucem; VOBIS præfer-
tim, æquissimis pariter at-
que prudentissimis iudici-
bus, easdem dedicare con-
stitui; in firmissimam in-
gressus spem, fore, ut co-
natus meos benevole ad-
probetis. Excipite igitur
exiguum hunc libellum
serena fronte, VOBISque
perfadete, me nihil poste-
ro tempore intermissu-
rum, quod ad laudes VE-

STRAS amplificandas
pertineat. Dereliquo pre-
cor, ut benignissimus
DEVS, cui salutem VE-
STRAM quotidie com-
mendo, VOS, strenuos an-
tiquæ ac venustæ elo-
quentiæ vindices, salvos
diu præstet atque incolu-
mes, quo carissimæ Ger-
maniæ nostræ eximio si-
tis ornamenTo, & aucto-
ritati purioris Latinitatis
præsidio firmissimo. Va-
lete. Scripsi Vinariæ die
xxiv. Maii, anno, quam sa-
lus per Christum parta est,
M DCC XXVIII.

Bene-

० ८



Benevolo & candido

LECTORI

S. P. D.

Laurentius Reinhardus.

Cum eloquentiae ordinaria professio duobus abhinc annis Hildburghusæ mihi fuisse delata, operam dedi, ut adolescentibus fidei meæ con creditis limpidi veræ eloquentiae fontes commonstrarentur: in eam præsertim curam diligenter incumbere coepi, ut brevia quidem, at necessaria & utilia, præcepta de stylo Latino illis tradarentur, quo illorum animi eov hemen-

PRÆFATI O.

hementius ad diligentiam inflammarentur. Quanta fide, quanta diligentia munere meo tum functus sim, norunt ii, qui ex scholis meis egressi in celeberrimis Germaniæ academiis litteris iam operantur; quorum in me amor profecto non est obscurus. Primas eo tempore huius libelli lineas duxi. Jam vero, multorum rogatu, quæ brevibus antea docueram verbis, explanavi copiosius. Non nescio, multos de stylo Latino exposuisse, quorum in numero *Io. Gottl. Heineccius & Christianus Henr. Weissius* principatum tenent; meum vero laborem a reliquo rum instituto diversum esse, nemo non intelliget. Adiunxi huic libello duas orationes, totidemque programmata publico nomi-

PRÆFATI O.

nomine Hildburghusæ a me
conscripta, quæ argumenti di-
gnitas facile tibi commendabit.
De reliquo credas velim, amice
& candide lector, me omnem
postero tempore in id collatu-
rum esse industriam, ut, si DEVS,
summus ille omnium rerum op-
fex, vires mihi largitus fuerit,
otiumque concederit, ea a me
perficiantur quam utilissime,
quæ paullo ante finem orationis,
quam Hildburghusæ publice ha-
bui, promisi. Vale, &, si non
prorsus indignus fuero, favore
me TVO amplexare. Scripsi

Vinariæ die xxv. Maii A.R.S.

M DCC XXVIII.

CATA-

¶
CATALOGVS
reliquorum scriptorum

a
Laur. Reinhardo
editorum.

1. *Dissertatio de præcipuis vitiis docentium in scholis.* Jenæ 1717.
2. *Epistola ad celeberrimum virum Jacobum Burckhardum de ratione descendæ linguæ Latinæ,* Jenæ 1718.
3. *Dissertatio de controversiis antiquis & novis de Baptismo.* Hildburghusæ an. 1718.
4. *Dissertatio de Libro sapientiæ.* Wittembergæ 1719.
5. *Dissertatio de modo, quo Theologia naturalis nos manu quasi ducit ad revelatam; quæ præsentibus duobus Serenissimis Principibus & Celsissimo Comite*

CATALOGVS.

Comite Erpacensi eruditorum disquisitioni publice subiecta fuit Hildburg-husæ an. 1720.

6. Dissert. de fatis studii Hebræo-Biblici inter Christianos. Wittembergæ 1720.
7. Observatio de iusto pretio elegantioribus litteris & philosophiæ statuendo, inserita Miscellaneis Lipsiensibus.
8. Imitationes parallelæ über den Cornel. Nepotem und Julium Cæsarem. Leipzig. an. 1722.
9. Compendium historiæ philosophicæ Lipsiæ 1724.
10. Historia Græcæ lingua. Lipsiæ 1723.
11. Historia Juris Naturæ. (*) Lipsiæ 1725.
12. Geistliche Gedichte über die Evangelia und den Catechismus Lutheri. Leipzig 1725
13. Neue Griechische Grammatica nach der Art der Lateinischen des seel. Cellarii verfaßt. Leipzig 1726.
14. Geiste

(*) Errores typographici cæbriores nefariorum correctoris negligentiam tribuendi sunt.

CATALOGVS.

14. Geistliche Gedichte über die Pas-sions-Historie. Leipzig 1726.
15. Programma de Hieronymo Pragensi, orationi Amandi Abrahami Credene-ri, de somnio Friderici III. Saxoniz Electoris 1726. die 31. Octobris Hildburghusæ habitæ, præmissum.
16. Eutropii breviarium historiæ Roma-næ notis philologicis illustratum, Vi-nariæ 1728.
17. Historia philosophiæ Barbaricæ, cum præfatione illustris viri Burcardi Gotthelfffii Struvii. Jenæ 1728.



B.C.D.



B. C. D.

INSTITUTIONVM STYLI LATINI

CAP. I.

De

styli Latini virtutibus.

SECTIO I.

De

puritate styli Latini.

S. I.

STYLI LATINI *puritas* est ea orationis
Romanae virtus, qua præter Latini
sermonis structuram, aureo illo La-
tinitatis saeculo receptam, aliæ voces,
aliæ dicendi formulæ, alias sermoni-
nis nexus non admittuntur. Puritati
itaque styli Latini adversantur vocabula

B anti-

antiquata seu *obsoleta*, vocabula temere novata, voces nimis rarae & mere poeticæ, nimis frequens Græcorum vocabulorum usus, vitiosa vōcum pronuntiatio, orthographia minus genuina, voces ex diversis linguis conflatae, barbarismi, & soloecismi, ac denique voces peregrinæ.

§. II.

Vocabula antiquata differunt ab antiquis. *Antiquata* *) sunt, quæ aurea illa Romani sermonis ætate non amplius fuerunt usitata, sed proscripta & communis sermonis commercio penitus exclusa; *antiqua* autem vocabula vocantur, quorum usus nondum plane obsolevit, sed, si loco opportuno apte adhibeantur, magnam orationi conciliant gratiam. Illa jure

*) *Antiquatorum vocabulorum indices exhibent Eilhardus Lubinus in Antiquario an. 1594. 8. edito: J. W. Laurembergius in vocum obsoletarum dilucidario Lugduni Batavorum an. 1622. edit. Et Jo. Nic. Funccius in elegantissimo libro de Lat. lingue pueritia p. 76. sqq. ubi præcipue statum linguæ hujus puerilem ex fragmentis XII. tabularum commonebat, itemque p. 213. sqq. libri utilissimi de Lat. lingua adolescentia.*

jure meritoque vitantur; his vero com-
mode uti possumus. Antiquata vocabu-
la reperiuntur in poematibus Livii An-
dronici, Cn. Nævii, Quinti Ennii, Marci
Pacuvii, Statii Cæcili, Lucii Accii, alio-
rumque, quorum studio Romanorum
sermo adolevit, quorumque fragmenta
ab interitu vindicata uterque *Stephanus*,
Robertus nimirum ejusque filius *Henri-*
cus, collecta digestaque Parisiis anno
M D LXIV. typis exscribenda curavit.
Latina enim lingua sensim adolevit, &
novis pededentim viribus corroborata
est, postquam & poetæ, & rhetores, &
oratores, & historici, qui juvenilem illius
ætatem rexisse dicuntur, omni studio in
id incumbere coeperunt, ut majestatem
suavitatemque illi conciliarent: & licet
M. A. Plautus aliisque elegantiæ fuerint
studiosi, & iis quoque, qui paullo post
bellum Punicum secundum floruerunt,
sermonis Romani ornamentum curæ
cordique fuerit; auro tamen, quod in
eorum scriptis invenitur, plurimum ad-
mixtum est stercoris, si ab uno Terentio,
cujus comoediæ, licet scoriis quibusdam
inquinatae sint, a summis viris in deliciis

habitæ sunt, discesseris. Quemadmodum vero voces obsoletæ vitari debent; sic quoque obsoletis ^{**)} flexionibus vocium Grammaticis, item antiquatis orthographia & proscripta vocium structura, abstineamus oportet. Talibus *Archaismis* plerumque *Justus Lipsius* etiam delectatus fuit, ideoque orationem interdum adeo obscuram reddidit, ut *Rolandus Maresius* in epistolis suis graviter eandem ob causam in illum sit inventus.

§. III.

Vocabula temere novata diligenter a vocibus novis sunt distinguenda. Illa sunt, quæ sine ulla ratione sunt conficta; hæc vero in exprimendis rebus novis & priscis Romanis prorsus ignotis adhibentur. Nova comminisci ^{*)} velle vocabu-

^{**)} Vid. *Ausonii Popmæ lib. II. de usu antiquæ locutionis*, & laudati antea *Funccti lib. de adolesc. L. L. cap. VII.* Vitium illud sermonis, quando vocibus dictionibusque obsoletis utimur, vocatur *archaismus*. Placuit sæpiissime *Sallustio*, qui acerbam idcirco haud raro subiicit censuram.

^{*)} E. g. *Rentmeisterus pro reddituum præfecto: urthelium pro sententia ab integro J. Ctorum ordine lata.*

la, cum antiqua suppetunt, longe est ineptissimum; qui vero cum Hadriano **)
R.E Card. satius esse opinantur, ea omittere, quæ Latine satis pronuntiari posse
diffidamus, quam novis uti vocibus, risum extorquent sapientioribus: cum satius
sit verbi, quam rei, facere jacturam. Facultatem vero Latinam linguam novis
vocabulis augendi nobis merite datam esse, complures adfirmarunt viri ***) eru-

B 3 ditionis

**) in lib. de Sermone Latino p. 19. editionis an.
1578. Coloniæ Agripp. foras datæ.

***) Jo. Sturmius in lib. de Lat. lingua resolven-
da ratione, Jenæ 1704. iterum cura Jo. Geor-
gii Jochii edito. cap. 4. p. 30. Jo. Vorstius in
lib. de Lat. merito suspecta p. 10. Julius Cæ-
sar Scaliger epist. X. p. 55. Christophorus Aug.
Heumannus, qui ad beatum Jo. Tobiam Wil-
helmi peculiarem epistolam scripsit de jure
L.L. augendi novis vocabulis, Isenaci 1714.
typis excusam. Facere non possum, quin
Christiani Becmanni sententiam, in Manu-
duct. ad Lat. linguam cap. X p. 61. exhibitam
lectori ponam ante oculos: age, inquit, optio
tua esto, elige utrum malis? aut nescire aut
noscere res, quæ Ciceronis ævo non fuerunt,
nostro sunt. Vis nescire? omnium stultissimus
es; vis noscere? necesse est, ut nova recipias
vocabula.

ditionis laude conspicui. In Plinii majoris *historia naturali* haud paucæ occur-
runt voces novæ : quid? quod ipse Cice-
ro & Julius Cæsar, summi elegantissimæ
Latinitatis magistri *), novas excogita-
runt voces. Novis itaque vocibus jure
utimur primo in exprimendis rebus theo-
logicis. Ipse Cicero, si Apostolorum vi-
xisset ætate, Christoque nomen dedisset,
voces theologorum ecclesiasticas Roma-
na civitate donatas habuisset in deliciis:
& quamvis Godofredus Vogius in latini-
tatis corruptæ & non corruptæ indicibus
multas voces pariter atque dictiones ec-
clesiasticas, non sine egregia utilitate, pu-
rius & latinius reddiderit, illas tamen
prorsus rejiciendas esse nego, præter eas,

quæ

*) Cicero *qualitatem* adpellavit, quas Græci πολό-
τυρας vocaverant *Academ.* *Quæst.* lib. I. cap.
VII. Idem *essentiam* nominavit, quod Græci
antea σειαν dixerant, teste M. Ant. Mureto
Var. Lect. lib. XV. cap. 20. C. Julius Cæsar il-
lud vehiculi genus, quod prisci Germani pa-
riter atque Galli *eine Karre* vocaverant, *car-*
rum adpellare non dubitavit *lib. I. de B.G. cap.*
6. & 26. cuius auctoritatem deinceps Livius
quoque secutus est.

quæ a priscæ Latinitatis analogia & inde-
le prorsus recedunt ; quid ? quod illi, qui
cum *Petro Bembo* voces e profanis im-
piisque paganorum sacris petitas, in ex-
primendis Christianæ religionis myste-
riis ritibusque adhibere audent, acriorem
merentur censuram. *Deinde* novis vo-
cibus uti licet in exprimendis Regum,
Principum, Comitum, aliorumque splen-
dore muneris illustrium virorum, novis
titulis : nihil igitur impedit, quo minus
dicere queam *Archi-Dux Austriae*, *Archi-*
Camerarius, *Landgravius*, *Cancellarius*,
Superintendens, *Aulæ Marschallus*, *Licen-*
tarius, &c. *Idem* facere porro licet in
exprimendis rebus novis a *Ictis*, *Medicis*,
Philosophis & *Mathematicis* recens in-
ventis : in sua enim quisque disciplina
peculiaribus utitur verbis ; ab iis vero
vocabulis philosophicis abstineamus
oportet, quæ barbara infectorum Scho-
lasticorum cohors temere excogitavit.
Idem denique licet facere in exprimen-
dis novis monetarum, armorum, herbarum,
vestium, navigiorum & telarum generibus.
Ille itaque non peccat, a quo adhibentur
voces *ducatus*, *thalerus*, *pistola*, *flinta*, *rhea*,

B 4 coffeea,

coffea, fontangia, contucha, fregatta, flanella, cannefassum. Illi vero, qui novis uti coguntur vocibus, caveant, quæ so, ne illæ a regulis lingua communibus nimis sint alienæ; neve formulam illam: ut nunc loquimur, sive ut philosophorum, theologorum, &c. voce utar; omittant. Multæ quoque res novæ apta clara & perspicua exprimi possunt descriptione **): at illa vocabula, quæ antiqui ecclesiæ Christianæ doctores, quos *Patrum* titulo vulgus ornare solet, in Latinam linguam intulerunt ***) , quæque medio ævo *) in rebus civilibus cooperunt invalescere, non solum non rejicienda sed etiam sine ulla excusationis formula retinenda esse arbitror.

§. IV.

**) Malo ergo dicere: *major regni Anglicani senatus*; quam: *superius Parliamentum*.

***) e.g. *monachus, monasterium, missa, &c.* quarum vocum originem erudite ostendit *Jac. Frid. Reimannus in hist. vocab. Lat. lingue, Halæ Magdeb. an. 1718. edita.*

+) e.g. *Marchionis* nomen sæc. X. innotuit: sæc. XI. *feudi* nomen usurpari cœptum est: nomen *Papæ* sæculo V. ortum est: *Universitatis* nomen in denotandis scholis superioribus sæculo demum XIV. adhiberi cœpit,

§. IV.

Quemadmodum nusquam locorum tam splendidum reperitur adfiscium, quod non habeat angulos sordibus quibusdam scatentes : ita nullus unquam fuit in universo priscorum auctorum numero, in cuius libris non reperiantur quædam vetustius pronuntiata & impura vocabula. Hæc itaque notanda & visitanda sunt. *Cornelius Nepos* **) terissima quoiqui castigatissimæque dictionis auctor, cuius Latinitati nativus inest lepor, aliquot usus est vocibus, quas tuto adhibere non possumus. Ipse *M.T. Cicero* ***), quem omnes summis efferunt

B 5 lau-

**) e.g. *faue profac* IV. 2, 4. *circum vebens pro circumvectus* XIII. 2, 1. *ale alteræ pro alteri.*

***) e.g. *complexa* in *Orat.* *pro Sext.* *Rosc. Amer.*

cap. 13. *patiendi significatione :* item *duint* *Or. 1.* *Catilin.* *cap. 9.* *pro dent :* item *unæ pro uni, totæ pro toti ad Herennium ; conf. beati Andreæ Julii Dornmeieri dissert. de vitioso Ciceronis imitatore* §. 14. 15. 16. 30. 31. 42. 43. *Cæfaris, Livii, Ciceronis, Nepotis, Sallustii,* *aliorumque nævos diligenter indicarunt viri celeberrimi, Jo. Wilb. Bergerus in comment. de natur. pulchrit. orat. pag. 423. 455.*

laudibus, aliquot usus est dictionibus,
quas adhibere tuto haud licet.

§. V.

Orationem etiam inquinant voces &
dictiones mere poeticae: poetæ enim mul-
tis utuntur vocabulis & integris loquen-
di formulis, metri rationem habentes, a
quibus in sermone ab numerorum men-
sura libero, qui, sine poetici fuci accessio-
ne, nativo lepore debet exsplendescere,
prorsus est abstinendum. Poetarum le-
ctio diligenter est continuanda, cum op-
portunam stylo sublimi utendi occasio-
nem haud raro illi suppeditent, cumque
laudantium sermo, qui sublimiores ple-
rumque sectantur sensus, ad poetici styli
excelsitatem proxime adscendat; at vo-
cabula solis poetis propria vitanda sunt
sedulo.

§. VI.

Puritati sermonis Romani adversatur
quoque nimis frequens *) Græcorum vo-
cabu-

418. 457. 480. 280. 408. 503. & Io. Georg.
Walchius in critica Lat. linguae historia.

*) Inter recentiores Isaacus Casaubonus & Do-
minicus Baudius maluerunt quidem confuso
Græca-

cabulorum usus. Illis quidem vocibus Græcis commode licebit uti, quæ vel in Romanam civitatem dudum sunt recepta, vel quibus talis inest significatio, quæ Latinis verbis accurate satis exprimi nequit; qui vero promiscue mentis sensa Græcis vocibus exprimunt, nullo sermonis discrimine expenso, næ illi puritati Romanæ linguae officiunt, stylumque non exornant sed macula quadam adficiunt. Græcas voces sententiasque epistolis suis ad Atticum scriptis Cicero quidem inseruit sepius; hoc autem fecit, partim ut gratiam ab Attico, summo Græcarum litterarum fauore, iniret, partim ut arcana, de quibus eundem certiorem facere cupiebat, turbulentis istis Romanæ reipublicæ temporibus, eo facilius posset occultare; & quoties idem libris philosophicis Græca admisicuit vocabula, toties aut suam sententiam studuit reddere explicatiorem, aut necessitate, ut id faceret, fuit

Græcarum usu vocum in epistolis suis lingua-
rum ostentare scientiam, quam sapientissimi
cujusque instituto intelligi; at non nescio,
eosdem doctissimos viros a præscæ Latinitatis
studiosis verbis asperioribus suisse perstrictos.

suit adductus **). Cæsar, Nepos, reliquique auctores elegantissimi, Græca, quæ usus non frequentarat, vitarunt diligentissime.

§. VII.

Vitiosa vocum pronuntiatio Latinarum puritati styli Romani haud parum adversatur. Nullum quidem populum antiquam illam & nativam pronuntiationem retinuisse puram, plerique doctorum virorum arbitrantur; nec eorum veri dissimilis est sententia, qui non solum antiquam pronunciationem tum corruptam fuisse censem, cum *colonie Romanæ dissiparentur externæque nationes jure civitatis Romanæ fruerentur, sed tum quoque, cum Gothorum, Longobardorum, reliquarumque barbararum gentium impetus in Italiæ irruerent; at nondum eandem penitus perisse existimo, sed ad eorum potius accedo sententiam, qui, Germaniaæ superioris incolas*

præ

**) Ciceronem non nisi in tribus orationum locis voces mere Græcas, necessitate adductum, adhibuisse, ostendit *Aug. Buchnerus lib. I. de commut. rat. dicendi cap. 8. S. 3. p. m. 137.*
138.

præ ceteris genuinam pronuntiationem
 *** integrum adhuc retinuisse rati sunt.
 Ceterum qui Latinas pronuntiando vo-
 ces non vult peccare, is prosodiae Latini
 Romanorumque poetarum lectio-
 ni multum debet dicare studii.

§ VIII.

Quod ad orthographiam attinet; quæ,
 si vitiosa sit, stylum Romanum inquinat;
 non nego, subtilissimas in ea haud raro
 occurrere nugas. Nititur illa auctoritate
 antiquarum monetarum, tabularum pu-
 blicarum, lapidum, manu scriptorum
 codicium, etymologia vocabulorum, &
 denique doctissimorum virorum con-
 suetudine. Monetas publica auctorita-
 te eas verum antiquitatis pondus ha-
 bere,

*** Optima de pronunciatione vocum Lat. præ-
 cepta tradidit Benjaminus Hederichius in lib.
 de doctr. philolog. p. 149. sqq. ubi Lipsii, Schop-
 pii, Balbini & Caselii sententiae accuratius
 paullo considerantur.

*) Tota poesis Latina cum insigni eruditioinis ad-
 paratu explicatur a Julio Cesare Scaligero in
 libris septem poetices, quorum quarta editio
 an. 1607. prodiit.

**) Verisimil, part. I, cap. 4. §. 5.

bere, nemo negabit. Auctoritatem lapidum, antiquas inscriptiones exhibentium, nihil pendit Bohuslaus Balbinus **); at, inscriptiones aureo Latinitatis saeculo formatas & publico nomine confecatas multum apud me valere, fateor. Manu exarati codices describentium negligentia haud raro sunt vitiati: at etymologiaz, & doctorum consuetudini, quæ antiquitatem sàpenuero vicit, plurimum tribuo auctoritatis. Illi rectissima incedunt via, quibus beati Christophori Cellarii orthographia in plerisque, Covr: autem Sam. Schurzfleischii orthographia in quibusdam probatur. Cellarius certe illam elegit, quæ post renatas litteras a plurimis eruditorum *** fuit adprobata: diversarumque opinionum rationes copiose exposuit. Clarissimum virum, Frid. Andr. Hallbauerum *), distinguendi

*** Jo. Nemius, cuius ratio orthographica raris adnumeranda est libris, undecima laudati libri pagina, illam, inquit, scribendi consuetudinem imitabimur, quam doctissimus quisque usurpavit.

* In elegantissimo libello *de variis styli Latini exereitiis.*

guendi rationem novo modo tradidisse, non ignotum est eruditis. Commode quod orthographia Romanæ accuratior notitia in re litteraria præbet, tribus dissertationibus *de usu orth. Latinæ* doctissimus clarissimusque *Gottliebius Cortius* Lipsiæ commonistravit.

§. IX,

Voces hibridæ, quæ ex diversis conflatae sunt linguis, Latinis auribus adferunt tedium ac fastidium, Romanumque stylum corrumpunt atque impurum redundunt. Si quis itaque diceret *monoculus*, *bigamus*, *inanilogus*; stercore conspurcat sermonem Romanum. Contingere tamen potest, ut summa ad usurpandas hibridas voces nos cogat necessitas: ne præter culpam nostram in Principum incurramus odium, dum a Grammaticis gratiam inire studemus. Ideo *Archiducis*, *Archi-Cancellarii*, *Archi-Marschalli*, *Archi-Camerarii* titulos, parum Latinos, præstat retinere, quam nimio puræ Latinitatis studio magnorum Principum imminuere dignitatem.

§. X.

§. X.

Barbarismi præcipue stylum Latinum corrumpunt impurumque reddunt. Barbari nomen ex illa ortum traxit vituperatione, qua Græci peregrina lingua utentes insectari consueverant. Id convitii Romani deinceps conjecterunt in eos, qui Græca Romanave non utebantur lingua, quique incondito & inepto sono Romanorum auribus adferebant molestiam. Postea barbarismos adhibere dicti sunt, qui voces ab illius Latinitatis indole alienas, quæ aureo argenteoque Romanæ linguez ævo floruit, usurparunt, aut vocibus in se ceteroquin Latinis alienam tribuerunt significationem. Tales barbarismos, ut reliquos silentio præteream, commonstrarunt Olaus Borrichius in cogitationibus de variis L. L. etatibus. Christophorus Cellarius in curis posterioribus de barbarismis, & Cyriacus Güntherus in prima restituæ Latinitatis parte. Hosce libros ut diligenter verset adolescens purioris Latinitatis cupidus, est, quod amice rogo.

§. XI.

Barbarismus conspicitur in singulis voci-

vocibus; *soloecismus* vero in plurium vocum structura. Hic nomen sortitus est a Solis, Ciliciæ urbe, cuius incolæ sensim a pristino Attici sermonis nitore ac leprore desciverunt. Qui itaque soloecismos committunt, ii a recto syntacticarum regularum tramite aberrant. Tales soloecismos indicarunt *Jo. Vorstius* in lib. *de Latin. merito suspecta*, itemque Cellarius ac Güntherus in libris antea laudatis, Germanismi ergo & Gracismi in soloecismorum referendi sunt numerum.

§. XII.

Puritati Latini stylī denique adversantur vocabula peregrina ac originis barbaræ, quæ in Romanam civitatem non sunt recepta. Recte ac tuto adhibentur voces *Satrapa*, *acinaces*, *gaza*; cum, licet origine sua sint Persicæ, a Nepote & Curtio Romana donatæ sint civitate. Quodsi vero necessitate adducti peregrinis vocabulis interdum uti debeamus; ne perspicuitatem pariter atque puritatem sermonis lèdamus, descriptionem & paraphrasin adhibeamus oportet. Rem omnem uno explicabo exemplo. *Rex Poloniæ distribuit nuper dynastias,*

C

quas

*quas Poloni starostias adpellant: ubi de-
scriptionem exigit puritas; ut vero vo-
cabulum *starostia* retineatur, perspicui-
tatis postulant regulæ.*

SECTIO II.

De
styli Latini perspicuitate.

§. I.

Quoniam alium in finem nec loquimur
nec scribimus, quam ut ab altero cum
singulæ voces nostræ tum integræ phra-
ses sine difficultate intelligantur; oratio
nostra perspicua sit necesse est. Hoc ita-
que loco præcipuas perspicuitatis leges,
quas styli Latini cultorem ob oculos fi-
xas habere oportet, breviter at perspicue
exponam.

§. II.

Oratio, in qua argumenta omnia sine
justo miscentur ordine, non potest non
esse obscura: accuratior ergo eorum di-
positio ad perspicuitatem confert pluri-
mum. Ex quo elucet, quam parum apti
sint ad stylum Romanum recte excolen-
dum, qui præceptorum Logices sanioris

ex-

expertes sunt atque ignari. Logica monstrare sola potest, qua ratione, quo ordine cogitationes nostra disponere debeamus; quid? quod generalia quoque eloquentia præcepta suppeditat: quam ob rem celeberrimi *Jo. Jacobi Syrbii*, philosophi Jenensis, *institutiones philosophiae rationalis* præ reliquis commendō.

§. III.

Quemadmodum verba nimis longe translata orationem reddunt obscuram, sic verba *propria* & *nativam* significandi vim habentia ad sermonis perspicuitatem maxime sunt necessaria. Unius vocis non potest esse nisi una significatio *propria* & *nativa*; quæ cognoscitur facile, si videoas *primo*, an rei cum vocabulo intercedat similitudo: *deinde* an auctores, qui data opera de re quadam differuerunt, vocabulum, de quo solliciti sumus, aut semper aut saltem plerumque usurpaverint; & *denique*, an etymologia pariter atque derivatio vocis significationem *propriam* confirmant. At *proprias*^{*)} cum

C 2 laudo

^{*)} *Propriis* vocibus adnumerandæ sunt *voces significationis solemnis*; quas *Barnabas Brissonius*,

laudo voces, non plane rejicio tropos sibrie prudenterque usurpatos; id quod infra pluribus ostendetur verbis. Ceterum propriam plurimarum vocum significationem utiliter indicarunt *Ausonius Popma* in libris quatuor *de differentiis verborum*, & *Joannes Vorstius* in libello *de Latinitate selecta at vulgo neglecta*.

§. IV.

Qui perspicuitati studere cupit, eum evitare oportet cum voces, quæ plures una habent significationes, tum integras dictiones, quibus diversus tribui potest sensus: illæ dicuntur *homonymiæ*, hæ vocantur *amphiboliæ*. Hanc si quis non diligenter satis memoria teneat regulam, in scriptis ejus non potest non obscurum dicendi genus adparere.

§. V.

Cum perspicua sit oratio, quæ constat verbis notis, vulgo receptis, & facile in men-

sonius, majoris regni Franciæ senatus olim præfes, collectas exhibet in præstantissimo libro *de populi Romani solemnibus formulis & verbis*. Ex quo simul adparet, styli Latini cultorem Romanarum antiquitatum debere esse peritum.

mentem cogitationemque lectoris venientibus ; fieri non potest, ut perspicuitas cum vocibus obsoletis ac ignotis, itemque cum dictionibus temere inventis atque a nullo melioris notæ scriptore adhibitis vel ad obscuriores fabulas alludentibus, queat consistere. Plauti ideo & Persii dictio nonnunquam est obscurior; illius, quod obsoletis delectatus est vocabulis; hujus, quod obscuriorum fabularum nimis s̄æpe rationem dicit.

§. VI.

Ellipsis ceteroquin ornat orationem, in qua exprimendus est vehementior aliquis & subitus animi affectus : adhibetur quoque eleganter extra ejusmodi orationis structuram ; at nimis concisa brevitas, ubi meræ aut nimis crebræ sunt ellipses, tenebras offundit orationi : id quod adparet ex quibusdam Taciti ac Lipsii libris.

§. VII.

Et quia nimia membrorum sermonis brevitas non minus obscuritatem gignit, quam nimia eorum magnitudo ; ut justum semper in hac mensura periodorum observemus temperamentum, me-

C 3 diaque

diaque incedamus via, necesse est. Vehementior interdum affectus animi brevitatem parit periodorum : interdum quoque *circumducto* orationis genere opus est, cum res gloriose splendididis exprimendae sunt amplificationibus ; at certum nihil pejus est nimia, fucata, ac minus naturali brevitate, caliginem lectorum animis offundente : sicut & nimium longa verborum circumscriptio intellectum obruit.

§. VIII.

Parentheses penitus quidem evitari non possunt ; at a crebrioribus verbosioribusque parenthesis, quoad ejus fieri potest, est abstinendum. Quibus frequentior parenthesis usus est in delicisis, illi aperte maxime indicant, se aut rem, quam explanandam sibi sumserunt, non accurate satis pernoscere, aut nescire, quo ordine unum fluat ex altero, quaque ratio in cogitando debeat observari.

§. IX.

Plurimum obscuritatis gignit turbatus verborum ordo, cum a naturali orationis structura vocabula nimis longe se-

jun-

junguntur, & dum ornatæ syntaxeos studiosi esse cupimus, confusa omnia adparent. Multis hoc exprobrari potest vitium: qui turbas quidem producunt vocabulorum, eloquentis vero laudem nunquam consequentur.

§. X.

Ubi desunt particulæ, quas connectentes dicimus; ibi oratio sterilis non tantum efficitur & jejuna, sed etiam obscura. Caveat ergo perspicuitatis studiosus scriptor, ne justo parcus commemoratas usurpet particulæ: ideoque perspectas habeat oportet eas, quæ indicant, quo ordine posteriora orationis membra excipiant priora, & quæ in his sit consecutio. In structura sermonis soluti vero, qui pro varietate characteris aliam aliquam habet compagem, magis necessarius est diligentior connectentium particularum usus, quam in ligatæ orationis ædificio.

§. XI.

Interpunctiones illas, quibus hodie utimur, veteri Latio fuerunt quidem ignotæ; at nostro ævo sine obscuritatis metu carere iis non possumus. Quomo-

C 4 do

do vero distinctionum notæ recte collo-
cari debeant, ostenderunt Gerhardus Jo.
Vossius partition. orator. lib. V. cap. II. &
Benjaminus Hederichius utilissimi de do-
ctrinis philologicis libri pag. 55. sqq. nec
non Erdmannus Uhsius in illo libro, qui
præfert titulum : *der vvoohl informirte
Redner.* Ego hoc loco paucis multa di-
cam : *punctum* ponitur sensu aliquo *) pla-
ne finito : *colon* ponitur, cum periodus in
membra **) majora dividitur : *semicolon*
ponitur cum periodus in minora discer-
pitur membra ***) ; graciliores vero sen-
sus, per alios intervenientes interrupti,
distinguuntur *commatibus*. Quo loco reli-
quæ distinctionum notæ collocandæ sint,
nemo non videt. Qui majusculis utuni-
tur litteris, id quod in Inscriptionibus fie-
ri solet, ii partim omnes ac singulas vo-
ces

*) *Punctum minus* scribitur, cum periodus se-
quens antecedentis est adpendix.

**) e.g. mediis in comparationibus, antequam
aliorum verba allegantur, &c.

***) e.g. ante conjunctiones disjunctivas, in op-
positionibus, in constructionibus aliquanto
longioribus.

ces punto dirimunt, partim punctum penitus omittunt ac voces spatio solum sejungunt.

SECTIO III.

De styli Latini dignitate.

§. I.

Dignitatem omnes, certe plerique, inter styli Latini virtutes referunt; at nemo adhuc, præter Christianum Henricum Weissium, gymnasii Altenburgensis directorem clarissimum, ita, ut par est, eandem explicuit: reliquis ornatum troporum ac figurarum rhetoriarum dignitatis voce experimentibus. Mihi dignitas styli est illa orationis Latinæ virtus, quæ scriptor ac orator veracitatis, honestatis, gravitatis, constantiæ, prudentiæ ac moderationis est studiosus, ac præter utilie & decorum nihil admittit.

§. II.

Qui dignitati suæ servit, is amans est veritatis. Sic qui dignitati styli servit, is studet veracitati, nihilque temere profert,

C 5

fert, quod ad decipiendos auditores lectoresve aptum est. *Bene dicere non potest, inquit Quintilianus, nisi vir bonus* *). Errant igitur turpiter artemque alios fallendi improbe profitentur, qui eloquentiae finem esse persuasionem clamitant; quid? quod hujus farinæ homunciones turpissimam perite eleganterque mentiendi artem honorifico admodum eloquentiæ titulo ornare audent. Vir probus vult dicere, quæ vera sunt: vir variarum disciplinarum notitia instructus artisque dicendi gnarus potest dicere, quæ vera sunt.

§. III.

Qui dignitati suæ servit, is est amans honestatis. Sic qui dignitati styli servit, is usurpat voces honestas pudorem ac reverendiam non violantes: econtrario vocabula turpia, sordida nimis & obscena,

*) Memorabile hoc Fabii dictum erudita differentiatione explanavit vir maxime reverendus atque amplissimus *Jac. Fridericus Brachtius*, ordinis Philosophorum Jenensium adseffor, qui nunc Apoldanae ecclesiæ pastor est ejusque ac vicinarum Superintendens.

scena, quo fieri potest studio, vitat; immo si rei, quam pertraet, ratio postulet, ut res sordidas exprimat, omnem navat operam, ut verecundis formulis honestatis indicet amorem. Abstinendum igitur est a jocis illiberalibus, ne turpitudinis labe adspergatur sermo. Quodsi quis adhibere velit sales, in id incumbat necesse est, ut ii sint a libidine, petulantia, ac turpitudine alieni, ne videatur scurra, ac ne, dum aliorum risum captare cupit, evadat ridiculus.

§. IV.

Qui dignitati suæ servit, is studet gravitati. Sic qui dignitati styli servit, is utitur vocabulis doctis, quæ olim moribus emendatis ac insigni doctrina conspicui viri adhibere consueverunt; econtrario abstinet a vocibus plebejis, a servis ac agricolis usurpatiis **). Verum dum charybdim vitare studet, omni cavit industria, ne in scyllam incidat, &, dum levitatis animi suspicionem studiose fugit,

præ

**) Viros in summo loco constitutos aliis usos esse loquendi formulis, aliis servos, ex Terentii ac Plauti comoediis elucet clarissime,

prænimio gravitatis studio meras crepet sententias. Sententiæ enim moderate adhibitæ decus conciliant orationi ; at crebrior earum strepitus & fastidium patrit & odium : cum orator sapientiæ ubertatem ostentare videatur. Pondera verborum adsint necesse est, sed sine fuso, sine fastidio.

§. V.

Qui dignitati suæ servit, is amat constantiam. Sic qui dignitati styli servit, is æquabilis semper orationis cursus est tenacissimus. Qui mox splendidis sese exornat vestimentis, mox infimæ fortis homines imitatur, non obscure prodit animi sui inconstantiam, risumque extorquet aliis. Pari modo ille peccat, qui mox excellos styli sublimis sensus sectatur, mox ad tenuis styli humilitatem delabitur. Propterea in elegantissimi cuiusque auctoris scriptis æquabilis semper adparet stylus.

§. VI.

Qui dignitati suæ servit, is prudentiæ observat regulas. Sic qui dignitati styli servit, is nunquam non considerat, quid prudentia suadeat : videt, quale quidque sit,

fit, quorsum pertineat, quomodo & quibus & quo loco pariter atque tempore tradi debeat. Tanto est oratio excellentior, quanto ad naturam rei pertractandæ stylus accedit proprius. Imprudentissimi itaque viri titulum meretur, cuius oratio magnificis, splendidis & artificiosis verbis intumescit, dum res minus splendida proponitur: non minus imprudentissimis adnumerandus est, cuius oratio, de rebus a magno Principe gestis habenda, nunquam adscendit sed perpetuo humi serpit.

§. VII.

Qui dignitati suæ servit, is studet moderationi. Sic qui dignitati styli servit, is moderationis laudem consequi cupit. Hanc consequetur, si vitaverit genus dicensi ignavum, iners, ac nimis remissum, quod affectus nec movere, nec concitare, nec sedare valet: & si vitaverit parenthysum seu ineptam affectuum concitationem, nimiamque & ex immodica affectus vehementia profectam celeritatem. Qua ratione affectus moveri debeant, quoque modo debeant sedari, nemo ex solis rhetorum præceptis perspicet;

ciet; at salutaria sobriae philosophiae dogmata, quomodo id fieri possit, ostendunt,

§. VIII.

Qui dignitati suæ servit, nihil agit, nisi quod utilitatem præbet. Sic qui dignitati styli servit, is omnem in id confert laborem, ut, quæ dicit vel scribit, auditori lectorive adferant fructum. Peccant igitur, qui eloquentia sua abutuntur ad excitandas in civitate seditiones, item ad defendendas in ecclesia hæreses, itemque ad proponendas res scurriles: inepti quoque dicendi sunt oratores, qui, in mustaceo querentes laureolam, asinum, calvitium, podagram, lutum, exsiliū, canem rusticum immo pediculum laudarunt.

§. IX.

Qui dignitati suæ servit, is decori politici metam transfilire non audet. Sic qui dignitati styli servit, is nunquam non considerat, quid præsens locus exigat, quidque temporis ratio postulat, & quales habiturus sit auditores vel lectores: quid? quod in eam incumbit curam, ut viros generis nobilitate munerisque splen-

splendore conspicuos illis honorum titulis, quo mores eo ayo, in quod ætas illius incidit, recepti jubent, prosequatur. Recentioris itaque curiæ styli nunquam non habet rationem, ut cognoscat, quo salutationis honore quilibet cohonestandus sit. Alium perillustrem, alium summe reverendum, alium juris consultissimum vocabit: quidam clemens, quidam gratosissimus, alias gratiosus, alias benignissimus dicendus est; ab abstractis autem dignitatum *vocabulis*, purioris Latinitatis indoli adversis, penitus abstineamus par est, in exprimendis magnorum titulis, id quod jam observavi in notis meis, quibus *Eutropium* nuper illustravi.

§. X.

Qui dignitati suæ servit, is, ne mentem profanam prodat, studiosissime cavet. Sic qui de styli dignitate est sollicitus, profanas istas jurandi formulas *mehercle*, *ædepol*, *mecastor*, & hujus stercoris alias, omni devitat studio; licet *Bembus* aliique ab iis non abstinuerint. Legatur beati *Jac. Thomasii* memorabilis *dissertatio de styli ethnicismo*.

SE-

SECTIO IV.

De

styli Latini suavitate.

§. I.

SVavitas styli est ea Romanæ orationis virtus, quæ syllabas, voces, integrumque sermonis structuram ita disponit, ut aures sono mulceantur. Minuta hæc in syllabarum vocumque sono posita industria oratore non est indigna. Orationum Romanorum princeps Cicero, & rhetorum Græcorum antesignanus Demosthenes, suavitatem soni suis non tantum commendarunt, sed ipsi etiam propter admirabilem ex apta partium sermonis positione ortam suavitatem haud exiguum consecuti sunt gloriam.

§. II.

Latet primum suavitas in ipsis elementis. Litteras in vocales dividi & consonas, notum est. Ex consonis minus sonant *mutæ*: atque ex his ipsis minime *tenues*, nisi accessione spiritus tenuium exuerint naturam; L molle est & a blandientibus libenter usurpatur, M firmum est

est & ad exprimendas res grandes aptissimum, N acuti quid continet & tinnit, R adhibetur in exprimendis rebus asperis. Quod ad vocales attinet, A convenit horroci, E convenit luctui, I convenit rebus exilibus, O & magnis & subitis rebus, U denique obscuris & occultis rebus convenit. Non autem difficile est intellectu, cur alia auribus videantur duriora, alia molliora ; cum necesse sit, ut durus signatur sonus, dum tales concurrunt litteræ, quæ contrario oris habitu proferuntur, aliis litteris os aperientibus, aliis illud claudentibus.

§. III.

Deinde suavitas latet in syllabis. Monosyllabæ voces multæque syllabæ breves si continuenter, compositio subsaltabit ; econtrario longior longiorum syllabarum continuatio adfert quandam in dicendo tarditatem. Suaviter ergo miscendæ sunt syllabæ : quo in generè præcipue cavendum, ne ultima prioris vocis syllaba & prima posterioris efficiat turpe aliquod nomen, neve ultima syllaba præcedentis vocis sit temere prima sequentis.

D

§. IV.

§. IV.

Tum suavitas latet in vocibus. Consideretur igitur diligentissime, quæ vocabula sint graviori sono prædita; quo in genere composita præferenda sunt simplicibus, itemque comparativi ac superlativi præponendi positivis. Abstinendum etiam est a concursu vocum eundem in fine sonum habentium, quo pueri ceteroquin solent ludere.

§. V.

Suavitas porro latet in integro totius orationis nexu. Aptam hanc & suavem brevium longarumque vocum temperationem ac concinnam earum juncturam numerum oratorium adpellare consuevimus; de quo multa præcipiunt rhetores. Si, inquit illustris Bergerus *), accedat is, quem laudavimus, numerus, orationemque, pedum ac temporum, apte disporitorum, vinculis adstrictam, ad modum quendam concentus, idonee dissimulati, redigat, abesse non potest, quin grandia, insignia, sonantia, apte & numerose cadentia, quæ inclusa sunt in orbem, fiant universa. Quidam eorum,

^{*)} pag. 254. præstantissimi libri de naturali pulchritudine orationis.

eorum, qui de numero oratorio expone-re voluerunt, insanire videntur, cum ni-mis multas tradiderint regulas easque prorsus ineptas. Numeri oratorii su-a-vitas qua in re posita sit, felicius ostendit aurium **) superbissimum judicium, quam ingens regularum cumulus. Se-quentes tamen memoria dignæ mihi vi-dentur regulæ:

1. In primordiis epistolæ vel orationis adhibetur saltem unica syllaba longa.

2. In media periodi parte sufficit, si breves longæque syllabæ suaviter inter se misceantur; ubi auris judi-cio mentis, mens aurium voluptati subserviet.

3. In periodorum clausulis elegantissi-mi suavissimique censemur troche-us duplex, antispastus ex jambo & trocheo conflatus, & paeon tertius duabus brevibus tertia longa &

D 2 quar-

**) Ad numeros oratorios non minus quam ad soni suavitatem recte judicandam nihil magis datur idoneum, quam scriptorum claræ voce suscepta prælectio, inquit laudatus Weis-sius de stylo Rom, p. 469.

quarta syllaba itidem brevi con-
stans.

Ceterum plerique ^{***}) statuunt, nume-
rum judicio Ciceronis temperandum es-
se; at collaudatus antea Jo. Wilb. Berge-
rus ^{*)} vir gloria insignis, præstat, inquit,
judicium admirari Cæsaris, quod artis lu-
xuria non diffudit, sed, moderatione adhibita,
rebus, quæ clarius sunt exprimendæ, accom-
modat numeros, ex ipsa rerum contempla-
tione elicitos ac dissimulanter intextos, Et
horum concinnitate vel effert vel condit ora-
tionem ab omni poeticæ locutionis audacia
sejunctam, de cuius gratia quantum dece-
dat, cognosci potest, cum, divulsa numero-
rum compage, compositionis ordo disturba-
tur: qui etiam ^{**)} demonstratum ivit,
Ciceronem elegantiam Cæsaris, non sine
tacito principatus metu, fuisse admira-
tum. Omnem quidem de numero ora-

^{***}) vid. Hederichii de doctr. philolog. lib. p. 533.

& Knauthii analæcta styli Schurzfleischiana

p. 32.

^{*)} pag. 331. libri antea laudati.

<sup>**) pag. 79. & 80, comment. de nat. pulchrit.
orat.</sup>

torio quæstionem ianam prorsus esse adfirmat per illustris Nicol. Hieron. Gundlingius ***): cum vero ex orationibus ejus, quæ typis exscriptæ sunt, luculenter appareat, præstantissimum hunc virum, quid numeri oratorii pulchritudo sit, optime perspexisse; in eam ingressus sum sententiam, vanas ineptasque vulgarium rhetorum regulas eum rejicere, sobria autem prudentiorum præcepta eundem adprobare, delicatumque aurium judicium commendare voluisse.

§. VI.

Latet quoque suavitas in variatione cum vocum tum integrarum loquendi formularum. Qui semper eadem obrarrat lyra, ab illius oratione omnis procul abest suavitas. Tullius ideo, qui eloquentiæ laude dicitur, inquit, noverit, quot modis quidque dicatur. Hæc styli copia vero comparatur variatione per synonyma, per casus, per tropos ac figuræ, per formulas judicantes, ac denique per phrases eandem rem exprimentes. Ex quo simul elu-

D 3

cet,

*** Part. I, cap. II, §. X. via ad verit. Logic. p. m. 12.

cet, quam necessaria fit vobis phrasiumque copia; quæ deinceps verborum locutionumque delectum parit, quo nihil potest esse suavius, jucundius nihil. Commutata dicendi rationis instaurator *Erasmus* est; *A. Buchnerus* vero ejusdem præstantissimus est explanator.

§. VII.

Suavitas denique latet in apto, concinno ac jucundo particularum *) positu. Oratio ex multis, etiam minutis, constat partibus; at minutæ quoque, si recte usurpentur, vim habent atque momentum. *Et, que, ac, atque, nec non idem* significant: interest tamen elegantia suavitatisque, quod cui, hoc vel illo loco, præferas. Cicero, Cæsar ac Nepos, aliique scriptores, id dederunt auribus, quarum delicatum est judicium, ut nunquam dixe-

*) Veram particularum significationem earumque usum ostenderunt *Horatius Turcellinus*, cuius *de particulis L. L.* librum egregiis adauxit observationibus celeberrimus *Jo. Conr. Schwarzius*: *Io. Christ. Knauthius* in *analepsis styli Schurzfleischianis* cap. IV. & *Dan. Georg. Morbofius* cap. XIII. libri utilissimi de pura dictione Latina.

dixerint ac sequente vocali. Cicero ac sequente vocali tanto devitavit studio, ut in una verborum circumscriptione atque saepius, aliquando ter, poneret. id quod Cæsar quoque quam diligentissime observavit, ut comprobatum id dedit illustris Bergerus pag. 295. libri saepius a me collaudati. Sic enim & etenim idem significant: usu autem Ciceroniano etenim ab initio semper ponendum est, enim post unum aut alterum verbum. Sic quoque particulæ ordinis recte usurpatæ, si suavitatis rationem ducere velimus, magnum habent momentum. Nimirum hic ab elegantissimis scriptoribus observatur ordo: primum, deinde, postea, tum, post, inde, postea, nec minus, ad extremum, denique. Reliqua, quæ dici hoc loco potuissent, lubens silentio prætermitto. Ceterum nemo hic oculos mentemque intendit magis, quam Julius Cæsar, historicorum princeps, qui ideo omnes levat legendi molestias: Plinius junior suavissimo particularum usu aures animumque ita permulcet, ut facile lectoris mens adquiescat. Nostro ævo suavitatis leges exquisitissime servarunt Jacobus Perizomius,

nius, Jo. Wilhelmus Bergerus, Jacobus Burckhardus, Christianus Gottlib. Schwarzius, aliquique doctrina pariter atque gloria insignes viri.

SECTIO V.

De

styli Latini ornatu.

S. I.

PUrus, perspicuus, itemque dignus ac suavis potest esse stylus, sine ornatus accessione. Ornatum vero, qui orationi Latinæ splendorem addit, pariunt tum regulæ syntaxeos ornatæ: tum tropi, figuræ ac schemata rhetorices: tum artificium periodicum; tum ratio splendide utendi particulis connectentibus. Quod splendidæ ac magnificæ vestes sunt elegantibus corporibus, stellæ coelo, pratis flores, pulchris comisque virginibus cimelia; id orationi Romanæ ornatus est.

S. II.

Quod ad ornatum Grammaticum attinet, nemo est fere Grammaticorum, qui eundem non aperte satis commonistraverit.

rit. *Christophorus Cellarius certe, Joachimus Langius, & celeberrimi novæ Grammaticæ Marchicæ auctores omnem in id contulerunt industriam, ut ornatæ syntaxeos ratio non dilucide tantum proponeatur, sed perspicuis quoque illustraretur exemplis.*

§. III.

Ornatus rhetoricus non eum in finem ostenditur, ut oratio ad cultum meretricium sit composita; sed ut venustas ejus ad naturalem gratiam accedat proxime. Quoties enim contingit, ut rhetoricus ornatus nimis frequens sit naturalemque auferat nitorem, id quod tum præcipue fieri solet, cum multa sollicitudine inventus & vi quasi protractus est; toties sperata voluptas auditorum lectorumque fastidio est vicina, animis tædiosa impletis satietate. Quod ad tropos attinet, rhetores eum in finem eos excogitasse censem prudentiores, ut veterum poetarum præsertim, excusarent nævos. Metaphoræ quidem major est, quam ullius tropi, amplitudo, si opportuno adhibetur loco, & ea, tanquam gemma quadam,

D s distin-

distinguatur sermonis structura *): *Iro-
nia* quoque valet ad jocos ac rioresque
censuras, si sales secum ferat; at dictiones
metonymicæ & synecdochicæ, si paucas
quasdam excepéris **), non tam ad orna-
tum styli quam ad palliandos veterum
nævos inventæ sunt. Ad summam: par-
ce utendum est tropis, tanquam condi-
mentis; qui præterea debent esse perspi-
cui, concinni, acuti & ingeniosi. Ad fi-
guras nunc accedo, quarum vulgo nimis
magnus est numerus, & quarum pleræ-
que infirmo nituntur ***) fundamento.
Qui juventutem fidei suæ commissam
verbosis rhetorices systematibus ediscen-
dis

*) Quæ metaphoris plurimæ observare debeat, in-
dicarunt *Io. Henr. Alstedius* in *System. rhet.* &
celeberrimus *Io. Gottlieb. Heineccius* in
fund. styli cultioris, part. I. cap. 2. §. 30, p. m.
100. sqq.

**) Metonymicæ locutiones elegantes sunt, quæ
signum ponunt pro resignata, efficientem cau-
sam pro effectu, &c. In Synecdochicis maxi-
me cavendum, ne poetica confundantur cum
oratoriis.

***) Id jam erudite demonstratum dedit *C. H.*
Weissius lib. 5. cap. 7. de *stylo Romano*.

dis excruciant, ii acerrimam merentur censuram. Vera igitur scripsisse mihi videor alibi *), cum adolescenti styli Latini elegantia studioso ad pernoscendas figuras rhetoricas sola brevi illa tabula opus esse, libere adfirmavi, quam celeberrimus Joachimus Langius institutionibus styli, hodego Latini sermonis tripartito præmissis, utiliter inseruit; illa enim paucis verbis omne artificium rhetoricum, tot laudibus vanis inanibusque ab aliis prædicatum, non tantum exhibit, sed ratione gratissima etiam exemplis illustrat clarissimis.

§. IV.

Ornatus periodicus apte adhibitus plane insignis est. Periodus est orationis in quodam quasi orbe inclusæ ambitus, quæ tamdiu procurrit, quoad omnes sententiaz perfecte percipientur. Hæc vel simplex est, quæ unico constat membro; vel composita, quæ pluribus constat membris. Composita duas habet partes, quarum alteram protasis, alteram apodosin vocare solent;

*) In dissertatione mea de præcipuis vitiis docentium in scholis, Jenæ 1717. edita, & Hildburgus an. 1722. iterum typis excusa.

lent; eaque iterum vel bimembris est, vel trimembris, vel quadrimembris: nam si vel protasis vel apodosis duplicetur, ex bimembribus facile fiunt periodi trimembres. Omnium vero magnificen-tissima est periodus quadrimembris, per-fectam plerumque ratiocinationem con-tinens: hujus igitur ornatum maxime commendo. Ceterum periodi com-po-sitæ in *causales, explanativas, consecutivas, concessivas, comparativas, adversativas, copulativas, disjunctivas, & exclusivas* di-viduntur; quas facile formabis, si Logicæ propositioni vel causam, vel conditio-nem, vel aliud quidquam hujusmodi ad-junxeris. Sivero ex periodorum **) Iusu sperandus sit ornatus, quadrimembres adhibendæ sunt in orationum exordiis & enthymematibus proponendis, reliquæ vero apte graviterque, pro diversa rerum tractandarum ratione, miscendæ sunt.

At

**) *Io. Sturmii libellus de periodis* est omnium utilissimus: hujus ductum secutus est *C. S. Schurzfleischius*, cuius de *stylo prælectiones manu descriptas* fere integras retinuit *Io. Gottl. Heineccius*; id quod a nemine adhuc fuit observatum.

At oratio, quæ tota periodica, deformat
potius est, quam ornata; nam nimium
fucata & calamistris intusa ad meretrici-
um cultum accedit proxime. Ab ele-
gaatissimis scriptoribus adhibentur et-
iam periodi sex membrorum, si momen-
tis instructæ sint rationum; quales haud
raro occurunt in libris C. Julii Cæsaris,
quinitida semper usus est orationis stru-
ctura. De reliquo periodus differt a
 $\pi\epsilon\rho\iota\delta\mu\omega$; si enim verbosiores periodi,
quatuor membrorum regionibus non
terminatae, certo colorum numero ab-
solvantur, $\pi\epsilon\rho\iota\delta\mu\omega$ vocatur; qua in re
optimum fit, quod sese obtulit, quodque
ab ipsa re suppeditatum est, non quod ar-
te aut vi ante perquisitum fuit.

S. V.

Splendorem denique ac magnificentia-
m stylo addit *ornatus particularum con-
nectentium*, quarum ope periodi omnino
carere non possunt. Aliquot exemplis jam
olim id comprobarunt *Jac. Hugues* ***)

&

***) Hujus *artificium transitionum* in Germa-
nia etiam foras datum est cura *G. C. Kirch-
mairi*.

& Joannes Rivius^{*)}): qui, quoniam monstrarunt, quomodo, si ornate dicendum sit, transitus fieri debeat a majoribus orationis membris ad minora, itemque a periodis ad periodos, atque a protasi ad apodosin, nostro quoque a^{vo} laudandi sunt ac celebrandi. Verum ornatus hice, quem particulæ orationem connectentes suppeditant, rectius feliciusque perspicitur^{**) usu, diligentiusque instituenda, in legendis auctoribus, observatione, quam inani ac tardii plena regulorum multitudine. Quod ad priscos scriptores attinet, Cicero, Cæsar, Nepos, Quintilianus & Plinius junior, reliquos omnes in hac curarum parte vicerunt; Ciceroni tamen desunt aculei. Nostra etate in hoc genere excelluerunt Jo. Wilh. Bergerus, Justus Christoph. Boehmerus, Petr. Burmannus, Jo. Burchardus Majus, Jac. Burckhardus, Jo. Caspar Posnerus, Jo. Henr. Kromayerus, Godofr. Vockerodtus, Ge. Schubartus, aliique, quorum plerique Germaniæ nostræ magnosunt ornamento.}

^{*)} Hic fecit id lib. VIII. institut. Grammat. Augustæ Vindelicorum olim typis excusis.

^{**) U}lus viros, ulus oratores facit.

CAP.

CAP. II.

De

DIVERSIS STYLI GE-
NERIBVS.

SECTIO I.

De stylo tenui.

§. I.

Stylus tenuis, quem quidam *humilem*
*temere**) adpellant, illud est dicendi
 scribendique genus, quod verbis pu-
 ris, propriis, planis & simplicibus, facili-
 & minus artificiose elaborata structura,
 circa ambages crebrioremque troporum
 ac figurarum usum, rem ita, uti est, ex-
 ponit.

§. II.

Vocum puritas, perspicuitas atque di-
 gnitas, in hoc styli genere, scriptoribus
 maxime curæ sint cordique. Tropos
 adhi-

* Qui enim tenui at pulchro usi sunt stylo, ora-
 tionis simplicitate plus adepti sunt, quam alii
 interdum sollicita sermonis magnificentia.

adhibere si velimus; rari & grati sint illi
necessae est, molles, atque perspicui.
Tum a schematibus rhetoriciis prorsus
abstineamus oportet, nisi ea sponte sua
sece obtulerint. Connexionum præterea
modus simplex sit & ab artificiose fuso
alienus. Periodi denique breves esse
debent, saltem mediocres.

§. III.

Non tamen in tenui stylo nihil est acu-
ti, nihil ornatus. Nervos suos is habet
& lacertos. Errant igitur, qui cum sicco
omnique vita destituto stylo eundem
confundunt.

§. IV.

Tenuis styli exemplar nobis præbent
epistolæ Ciceronis, quas ad uxorem, ad
familiares, item ad eos, qui plurimis di-
stricti erant laboribus, perscripsit: & ex
historicorum veterum numero Eutro-
pius, Cornelius Nepos, Suetonius, item
que Cæsar in elegantibus de bello Gallico
libris; nec non libri Ciceronis philoso-
phici; & denique rei rustica scriptores.

§. V.

Commode hic stylus adhibetur hodie
in exarandis epistolis ad familiares, in
con-

conficiendis dissertationibus, in enarran-
dis rebus historicis, itemque in conscri-
bendis libris dogmaticis cuiusvis argu-
menti, & postremo in elaborandis pro-
grammatibus. Dialogorum ratio postu-
lat, ut stylus in iis conscribendis usurpan-
dus ad quotidianæ consuetudinis nor-
mam accedat.

§. VI.

Comprobant id præclara præstantissi-
morum ævi nostri virorum exempla, Ju-
sti Christophori Boehmeri, Ernesti Salo-
monis Cypriani, Jo. Francisci Buddei,
Gottlibii Wernsdorfii, Jo. Laur. Moshe-
mii, Jo. Casparis Posneri, Jo. Georgii
Walchii, Christophori Aug. Heumannii,
Conr. Sam. Schurzfleischii, Nic. Hier.
Gundlingii, Christ. Gottlibii Schwarzi,
Jo. Davidis Koeleri, Mich. Henr. Gribne-
ri, aliorumque quos dum non juste satis
servato ordine recensui, nullius dignita-
tem immittuere me voluisse profiteor.
Omnes, qui hodie Germanis in hoc
styli genere excellunt, si commémorare
vellem, brevitati sane non possem esse
studiosus.

SECTIO II.

De
stylo mediocri.

§. I.

STylus mediocris, quem recte temperatum quoque dixeris, est illa loquendi scribendique ratio, quæ medium locum tenet inter sublime & tenuem dicendi genus, quæque ornata etiam est & floribus quasi sparsa, simplicitatem quidem styli tenuis transscendens, ad sublimis styli excelsitatem vero non pertingens.

§. II.

In hoc igitur stilo omnes inesse debent styli Romani virtutes. *Tropi* autem non sunt cumulandi, & *figuræ rhetoricae* parce usurpandæ sunt. Adsit tamen succus, sanguis & spiritus. Quam ob rem ornatae syntaxeos regulæ diligentissime observari debent. De numero denique oratorio & periodorum nexu solliciti simus oportet.

§. III.

Mediocris styli exemplar nobis præbent Cicero cum in epistolis, quas de majoris momenti rebus ad summos clarissimos

mosque viros prescripsit, tum in quibusdam orationibus: Livius, & Vellejus Paterculus in enarranda historia Romana: Justinus, Sallustius, aliqui, quorum præclarum castissimæ Latinitatis studium etiamnum fama celebratur.

§. IV.

Commode hic stylus adhibetur hodie in epistolis, quibus Principibus aliisque magnis viris libros in publicam emissos lucem dedicamus: in epistolis ad patronos, quorum benevolentiam nobis conciliare studemus, scribendis: in programmatibus solemnioribus actibus publicis præmittendis publicoque nomine scribendis: in conficiendis orationibus publice habendis: in enarrandis rebus, quæ a viris de re litteraria pariter atque publica præclare promeritis gestæ sunt, cum laudandi caussa commemorentur.

§. V.

Quæ jam dixi, exemplis suis confirmarunt viri omni maiores laude: Aonius Palearius, Jo. Caselius, Petrus Cunatus, C. S. Schurzfleischius, Christophorus Cellarius, Jacobus Burckhardus, Jo. Caspar Posnerus, alii, in orationibus: Jo. Franciscus

scus Buddeus, Jo. Laur. Moshemius, Jo.
Georgius Walchius, Christophorus Cel-
larius, C. A. Heumannus, Jo. Alb. Fabri-
cius, Jo. Henr. von Seelen, Jo. Conr.
Schwarzius, aliquie, in *dedicationibus*: Jo.
Wilhelmus Bergerus, J. C. Boehmerus,
Godofredus Vockerodtus, Jo. Casp. Pos-
nerus, Christianus Gottl. Schwarzius, Jo.
Doppertus, Andr. Sam. Gesnerus, alii, in
programmatibus solemnioribus: Jacobus
Burckhardus in *præstantissimo de Ulrici*
Hutteni vita commentario nec non in
elegantissima de Hermanni Buschii vita
commentatione, C. A. Heumannus in
*egregio de vita Ernesti Stockmanni scri-
pto.* Ornatissimi styli mediocris exem-
plar eximium exhibit etiam elegantissi-
mum illud scriptum, quo memoriam *Il-
lusterrimæ Conjugis sūæ SOPHIAE ELISA-
BETHAE e gente SCHWARZENFELSIA*
die XXX. Decembris anni M DCC XXIV.
ad meliorem vitam translatæ posteris
ipsius atque suis commendavit *Illu-
sterrimus Heros togatus FRIDERICVS*
GOTTHILFIVS MARSHALLVS dictus
*GREIFF, liberæ S. R. I. nobilitatis Franco-
nicæ Eques, Serenissimæ Domus Saxo-Vina-
rien-*

riensis supremus palatii Ducalis magister,
consiliarius intimus, Cancellarius, ærarii
provincialis director, curiæ provincialis Je-
nensis adsestor, & præfecturarum Roslensis
& Gebstadiensis satrapa, vir omnibus ma-
jor laudibus.

SECTIO III.

De
stylo sublimi.

§. I.

STYLUS sublimis est illud dicendi genus,
quod, de rebus excelsis & magnis, cum
insigni schematum rhetoricorum nitore,
per artificiosos sublimium amplificatio-
num anfractus, verbis sonantibus splen-
didisque exponit magnifice.

§. II.

Quicquid igitur de styli Romani virtuti-
bus tradi unquam poterit, id omne in sty-
lo sublimi adpareat necesse est. Meta-
phoræ, ea, qua par est, quamque perspi-
cuitas postulat, ratione adhibitæ, gravita-
tem, evidentiam, festivitatem atque subli-
mitatem conciliare debent orationi; in
usurpandis tropis reliquis singularis ad-

E 3 hiben-

hibenda est prudentia, ne poetica orna-
menta confundantur cum oratoriis.
Schemata, quæ amplitudinem excelsam
ac splendorem magnificentem adferre pos-
sunt sermoni, adhibenda sunt in locis op-
portunis; quæ vero puerilem ornatum
redolent, negligenda sunt penitus. In
id denique omni studio animique con-
tentione incumbamus oportet, ut orna-
tus, ex artificio periodorum longio-
rum, numeri oratorii, ornatae syntaxeos,
ac connectentium particularum, usu, nec
non ex aptis epithetis proficisciens ubi-
que fere exsplendescat.

§. III.

Sublimis styli exemplar nobis præ-
bent Cicero in orationibus pro Milone,
pro Rabirio, in Verrem, in Pisonem, pri-
ma in Catilinam, Philippica secunda &
aliis, in quibus singularem immo sum-
mam dicendi vim vivis quasi expressit co-
loribus: & Plinius junior in panegyrico
Trajano imperatori dicto, cui parem vix
habuit unquam Romana antiquitas, in
quo simul acuti styli, quem Atticum alias
nominant, egregium specimen edidit.

§. IV.

§. IV.

Commode hic stylus hodie adhibetur in *orationibus panegyricis*, in quibus res grandiores & insigni arte & splendidis verbis debent proponi: in iis deinde orationibus, in quibus insigne gaudium, quod partim ex academiarum flore partim ex fausto scholarum recens instaurarum proventu percipimus, publice declaratur.

§. V.

Comprobant id illustria virorum doctrina illustrium exempla. Stylo enim sublimi usi sunt *Ezechiel Spanheimius* in *panegyricis Sueciae reginae Christinae & Principi Electori Brandenburgico dictis*: *Augustus Buchnerus* & *Jo. Henr. Boeclerus*, quorum *panegyricis* nihil est splendidius, licet nemo negare possit, eorum distinctionem a prisca illa puritate interdum discedere: *Caspar Coerberus*, *Jo. Georgius Grævius*, *Just. Chr. Boehmerus*, *Conr. Sam. Schurzfleischius*, *Nicolaus Hier. Gundlinius*, & *Jo. Burchardus Menckenius*, in variis, quas publico illustrium academiarum nomine habuerunt, orationibus *panegyricis*. Omnes styli sublimis virtutes

tes eximia prorsus ratione expreſſerunt
Jo. Wilhelmus Bergerus in panegyrico
CAROLI VI. auguſtissimi invictissimique
Romanorum imperatoris MAIESTATI
devoto: *Daniel Eremita* in panegyricis
& *Cosmo Mediceo & Ferdinandu Mediceo*
dictis: *Jacobus Perizonius* in orationibus
de pace a Batavis facta: *Petrus Burman-*
uus in oratione de victoriis Batavorum:
Christianus Gottlibius Schwarzius, tum in
panegyrico *Leopoldi II.* Archiducis Au-
ſtriae nativitati dicato, tum in oratione fo-
lemini novo Altdorfinæ academiæ ſeculo
an. M DCC XXIII. dicta: *Christophorus*
Cellarius, & in ea oratione, qua AVGV-
STO academiæ Fridericianæ CONDI-
TORI post inaugurationem nomine illi-
us gratias egit, & in illo panegyrico, quo
FRIDERICO III. primo Boruffia regi, de
regali auspicio & sacra unctione gratula-
tus est; & *Jo. Franciscus Buddeus* in fo-
lemini illa oratione, quam in ſplendida il-
luftris Gymnafii Hildburghuſani inaugu-
ratione habuit.

SECTIO

SECTIO IV.

De

reliquis styli generibus.

§. I.

Restant adhuc aliquot styli genera, quorum alia tolerari possunt, alia penitus sunt rejicienda. Divisione styli in *oratorium*, *historicum* & *philosophicum* non opus est: si quis enim cognoverit, quæ haec tenus a me dicta sunt, & si verba rebus eleganter ac prudenter accommodare didicerit, non obscure perspiciet, quo dicendi genere, in conficiendis orationibus, in exarandis epistolis, & in conscribendis historiis, uti debeat.

§. II.

Si varietatem periodorum consideres, aliis est stylus *Asiaticus*, qui periodis utitur potius πολυτάχοις, & amplificationibus copiosis: aliis *Laconicus*, qui utitur verbis selectis, epithetis nervi plenis, occultis connexionibus & admodum brevibus periodis; aliis denique *Atticus*, qui media inter commemoratos via incedit, dum & ab immodica periodorum accumulatione abstinet & nimiam brevitatem devitat.

E 5

§. III.

§. III.

Quod ad vitiosa styli genera attinet, alius est stylus *inflatus seu tumidus*, cum de rebus levibus aut saltem mediocribus expositurus excelsitatem sublimioris styli sectatur verborumque strepitu in altum fertur cum vana amplitudinis species; qualis in *Curtii & Valerii Maximi* libris conspicitur, & in quibusdam orationibus veterum, qui panegyricos conscripsierunt, quos conjunctim beatus *Cellarius*^{*)} edit; alius est stylus *cacozelus*, qui in ærumnosa imitatione, qua ex doctorum scriptis vitiosa haud raro amplectitur pro elegantibus & elegantia inscite applicat, consenescit; qualis conspicitur in scriptis *Apuleji*: alius est stylus *frigidus*, qui tortos & violentos sensus, sublime dictionis genus inepte imitando, sectatur, qui tamen judicii lumine orbati sunt; qualis ex *Erycii Puteani & M. Zuerii Boxhornii* orationibus & *Tertulliani* aliquot libris elucet. Tria hæc vitiosa styli genera devitabunt omnes, qui jucundam veræ eloquentiæ laudem consequi cupiunt,

^{*)} Halæ Magdeb. an. 1703. in 8.

CAP. III.

De

STYLI LATINI ADMI-
NICVLIS.

SECTIO I.

De

Grammaticis Latinis.

§. I.

Primum in addiscendo Romano ser-
mone adminiculum præbent *insti-*
tutiones Grammaticæ: hasque ne-
gligere est navem ventis committere non
curata pyxide nauica. Accuratiorem
igitur eorum notitiam habeamus neces-
se est, qui Grammaticas scripsero præce-
ptiones.

§. II.

Latina lingua iam florente in studium
Grammatices incubuerunt viri præstan-
tissimi. Ipse *C. Julius Cæsar*, maximus
post hominum memoriam imperator, ad
Grammaticum sese demisit laborem, cu-
jus

ius tamen de analogia libri perierunt, postquam *M. Terentius Varro*, scriptis libris viginti quatuor de lingua Latina, primas in hac doctrina lineas duxerat. Hunc secutus est *Verrius Flaccus*, cuius viginti de significatione verborum libri postea a *Festo Pompejo* contracti sunt in epitomen *). Quarto post Christum natum saeculo *Aelius Donatus* ad explicandas Grammaticas linguæ Romanæ rationes industriam suam contulit. Saeculo deinceps sexto *Priscianus*, quem alii natione Cæsareensem alii Romanum fuisse perhibent, XVIII. libros institutionum Grammaticarum confecit; in quibus omnium quietate eum antecesserant, industriam superavit.

S. III.

Renaſcentibus in Italia melioribus, quæ ab humanitate nomen fortitæ sunt, litteris,

*) Horum, nec non *Carissi* aliorumque veterum Grammaticorum opera conjunctim ediderunt *Dionysius Gothofredus*, *Io. Theodorus Bellovacus*, & *Elias Butschius*. Ceterum de veteribus Grammaticis copiose differit polyhistor celeberrimus *Io. Alb. Fabricius* lib. IV. cap. VI. & VII. biblioth. Lat.

litteris, Antonius Mancinellus, Velerinus, Donati artem Grammaticam & auxit & emendavit, eamque **) filiis suis, Pindaro & Festo, dedicavit. Non ita multo post Aldus Manutius, Romanus, scripsit quatuor grammaticarum institutionum libros ***, qui politioris litteraturæ amantibus multum porrigebant utilitatis. In Hispania Ælius Antonius de Lebrixia, vulgo Nebrisensis dictus, quem vicesimo secundo saeculi decimi sexti anno diem suum obiisse novimus, veteres Grammaticos, qui tum in scholis regnabant, de eo, quem adscenderant, dignitatis gradu dejectit, novamque Grammaticam conscripsit; hujusque ductum postea secutus est Jo. Ludovicus de la Cerdia, licet nova methodo Romani sermonis elementa explicuerit.

§. IV.

Cum Nebrisensis tantam apud doctiores, doctissimis Italis conatus ejus adjuvantibus, laudem consecutus esset, ut omnes

**) Huic sequens praescriptus est titulus: *Donus melior Mancinelli vigilantia castigatus.*

Prodiit anno 1487.

***) Lucem publicam adspexerunt an. 1507.

omnes Grammatici palmam ei detulerint, in Gallia florebat *Joannes Despauperius*, in Belgio *Simon Verrepaeus*, in Germania *Philippus Melanchton*, & in Lusitania *Emmanuel Alvarez*, Grammatici insignes. Melanchtonem, præceptionibus Grammaticis utiliter explanatis, gloriam cum adeptum fuisse, nemo est, qui negat. Lusitani libros tres *institutionis Grammaticæ* copiosis commentariis postea illustravit *Antonius Vellejus*, itidem Lusitanus. Hispanorum autem in provehendum Grammatices Latinæ studium merita deinceps auxit *Franciscus Sanchez* sive *Sanctius*, cuius exstat opus eruditissimum*), quod *Minervæ* titulum præfert,

§. V.

Postquam Itali & Hispani principes Grammaticam excoluerant, alii novis eam observationibus amplificarunt. Primo loco dignissimus est *Julius Cæsar Scaliger*, qui eruditissimum opus de *caussis linguae*

* Adnotationibus id locupletavit *Caspar Schoppius*; quibus novas postea observationes adjectit *Iacobus Perizonius*. Optima Sanctianæ *Minervæ* editio Amstelodami an. 1714. prædiuit.

linguae Latinæ confecit, ex quo multum accepit lucis res litteraria. Gerhardus Jo. Vossius artem grammaticam volumine sat spissò persecutus est, in quo elaborando integros quadraginta annos consumit. præfert illud Aristarchi titulum. Thomas Linacer, Anglus, editis libris sex de emendata structura Latini sermonis, aperte comprobavit, se prisca & nativæ Latinitatis non fuisse ignarum: ego certe ingenue profiteor, ex eorum lectione plurimum ad mea, si qua sunt, studia redundasse utilitatis. Wilhelmus etiam Lilius, itidem Anglus, ab Erasmo, Coleto & Wolseio adjutus, Henrico VIII. in Anglia reipublicæ fasces tenente, utilissimam compilavit Grammaticam, quæ nostro quoque ævo in Britannia scholis principatum tenere dicitur. Caspar Scioppius, alias Schoppius, superiore saeculo edidit Grammaticam suam philosophicam, in qua philosophica fere ratione artem grammaticam tradidit: plurima Sanctio præcipue illum debere, nemo non intelligit.

In Germania superiori tempore in exponendis grammaticis Latini sermonis

ra-

rationibus studium suum collocarunt Weinrichius, Schmidius, Rhenius, Zehnerus, Reyherus, Müllerus, Seyboldus, & complures alii. Nostra vero aetate Georgius Henr. Ursinus, Christoph. Cellarius, Joachimus Langius, & doctissimi grammaticæ Marchicæ auctores de grammatica Latina rectius explananda praclare sunt promeriti. Nuper etiam clarissimus Sigism. Jac. Apinus typis exscribendum curavit *lexicon grammaticum*, quod erudita præfatione ornavit celeberrimus mihius amicissimus Jo. Matthias Gessnerus.

§. VII.

Quatuor postremi eorum, quos hactenus commemoravi, præceptionum Grammaticarum scriptores omnibus quam diligentissime commendandi sunt discipulis. Jam vero disquirendum, ratione facile ad utilem Grammatices notitiam pervenire possint pueri? Paucis exponam, quæ mea sit sententia. Primum præcipua tantum, *etymologicæ capita* explicentur, & vocabula memoria mandanda proponantur: deinde verborum in colloquiis *Langianæ Grammaticæ* subunctis,

junctis, aut in colloquiis clarissimi Hier.
Freyeri Terentianis, occurrentium, quæ
in Germanicam linguam transferenda,
analysis Grammatica accurate instituatur,
& singula præcepta etymologica simul
evolvantur, ut eorum sensus eo clarius
exsplendescat: animo tironum sic præ-
parato pergendum ad regulas *syntacticas*,
non neglectis Latini sermonis vocabulis,
nec sepositis etymologicis præceptioni-
bus; syntaxeos autem rationes facile per-
spicient discipuli, si regulæ faciliores
præmittantur difficilioribus, & si illæ non
copiosis solum illustrentur exemplis, sed
si etiam, an pueri illas perspicue fatis
telleixerint, brevibus exploretur exercita-
tionibus. Tum pergendum est in ex-
ponendis colloquiis antea laudatis: quo-
rum verba & perpetua analysi & conti-
nua syntaxeos adplicatione in succum
convertenda sunt & sanguinem; qui la-
bor, si in explicando *Eutropio* & in expo-
nendo *Castalionis novo Testamento* conti-
nuetur, non potest non esse fructuosus.
Hanc rationem pernoscendi præcepta
Grammatica facillimam esse, experientia
edoctus sum.

F

SE-

SECTIO II.

De

Lexicis Latinis.

§. I.

IN Latina lingua omnis veterum Lexicographorum opera fuit tumultuaria. Qui eorum conatus intueri cupit, perlegat eruditissimam doctissimi Caroli du Fresne præfationem, *glossario insimæ latinitatis ab se edito præmissam*. In primis Lexicographis habetur *Papias Vocabulista*, auctor *Catholici*, cuius opus anno post natum Christum M CC LXXXVI. perfecatum & ducentis fere annis post Venetiis typis excusum est: cuius defectus & naves *Nestor Novariensis* in Lexico secundum alphabeti, ut loquuntur, ordinem digesto & Argentorati anno M D VII. typis exscripto, monstravit. Post hos, & *Werdenam*, & utrumque *Januensem Joannem nimirum & Simonem*, primus est qui Lexicographi nomen mereatur, *Nicolaus Perottus*, episcopus Sipontinus, cuius opus, *cornu copiae inscriptum*, non Lexicon solum exhibet verum etiam commenta-

mentarium in Martialem; ex quo postea Ambrosius Calepinus maximam dictionarii sui partem *) compilavit.

§. II.

Anno MD LXXXIII. Lutetiae Parisiorum Robertus Stephanus, florentissimi ingenii vir, plenius publicavit Lexicon, cui thesauri linguae Latine titulum præscripsit, & in quo defectibus, quibus superiora lexica laborabant, mederi studuit. Facere non possum, quin Dan. Georgii Morhoffi **) verba lectori ponam ante oculos: mira, inquit, iste liber fata habuit. Nam velut ad aliquod cadaver vultures convolarent, qui mira impudentia, auctoris nomine deleto, suum præposuere. Cæli certe secundi Curionis forum Romanum ***), & Theodosii Trebellii promptuarium collaudatum thesaurum exhibent, suppresso veri auctoris nomine.

F 2

§. III.

*) Conf. Olai Borrichii *analecta ad cogit. de var.*

L.L. etat. p. m. 42.

**) Exstant cap. 7. §. 4. lib. *de pura dictione Latina.*

***) Ex hoc & Stephani thesauro collectum & contractum est Jo. Frisii *lexicon trilingue.*

§. III.

Henrici Decimatoris, hominis veræ Latinitatis prorsus ignari, thesaurus temere sic dictus plus damni adfert lectoribus quam utilitatis. Verum Stephani Dolezi, viri Latine doctissimi, commentarii linguae Latinæ utilissimis libris abscribendi sunt. Basilius Fabri, Sorani, thesaurus eruditionis scholasticae felicissimis usus est fatis: Augustus enim Buchnerus, J.G. Grævius, C. Cellarius, & A. Stübelius diligentissime eum locupletarunt, & Jo. Matthias Gesnerus eruditis suis observationibus ditionem eundem utilioremque reddidit.

§. IV.

Andreae Reyperi, illustris gymnasii Gothani quondam rectoris, Lexicon multis accessionibus auctum est a Christiano Junckero, haud vulgaris doctrinæ viro; licet Lexici Fabriani præstantiam non exæquet. Lexica Weismanni, Kœnigii, Lindneri & Denzleri multis sunt in pretio, qui amant aliquanto minora; at Adamum Frid. Kirschium reliquis omnibus, qui minora adhuc in publicam lucem emiserunt, palmam præripuisse censeo. Simulac Jo. Andr. Weberus, clarissimus
gymna-

gymnasi Altenburgensis corrector, novum, quod publice pollicitus est, Lexicon foras dederit, Romani sermonis studiosa juventus utilissimo libro donabitur. Quo autem modo Lexicis uti debeant adolescentes, rectius exemplis docetur quam regulis.

§. V.

Lexicographis illos etiam adjungo, qui priscæ Latinitatis auctores copiosioribus indicibus instruxerunt: ex his enim elegantiorum locutionum cumulo augeri possunt Lexica. Præcipuam vero laudem merentur Nizolii *Thesaurus Ciceronianus*, quem, sicut sancte pollicitus est, augebit Georgius Henricus Riebow, vir doctissimus: *Paræi index in Plautum*: Kockerti & Boecleri indices in Terentium: Boccleri *) & larvati Emanuelis Sinceri indices in *Cornelium Nepotem*: Freinshemii & Kocheri indices in *Justinum*: Cellarii & L. C. Rühlii indices in *Julium Cæsarem*: Bengelii & Rühlü indices in *epistolas Ciceronis ad familiares*:

F 3

Freins-

*) Hujus index a J. A. Bosio, Jo. Vorstio & Andrea Stübelio mirum in modum auctus est.

Freinshemii & Sinceri indices in *Curtium*: Boecleri & Walchii indices in *Velleum Paterculum*: Lævini Torrentii & Casparis Gottschlingii indices in *Hortium*: Gottlibii Cortii index in *Sallustium*: Freinshemii & Christiani Hauffii indices in *Tacitum*: Hermolai Barbari index in *Plinium*: Weinrichii index in *Ciceronis libros de officiis*; quos si quis doctorum virorum, adjecto elegantiarum ex Livii libris collectarum indice, in unum corpus contrahere voluerit, opus perficiet non adolescentibus tantum fructuosum, sed etiam eruditissimo cuique jucundum. bibliopola certe sumtus ad edendum opus tam præclarum suppeditaturus nomen suum, bene de re litteraria promerendo, perpetuæ gloriæ commendabit.

§. VI.

His quoque adnumerandos esse censeo illos auctores, qui ex optimo quoque scriptore elegantissimas collegerunt *phrases*. Primum inter hos locum merito suo tenet Bartholomæus Riccius, cuius *Latinæ locutionis adparatus* si plenior esset & majori instructus copia, opus sane posse fideret

sideret litterata civitas hoc in genere consummatum. Proximum ab hoc locum obtinent *Antonius Schorus*, *Lojoliticae* societatis sodalis, vir Latini sermonis peritisimus, & *Emanuel Wildnerus*; quorum uterque insignem Tullianarum elegantiarum copiam coacervavit. *Aldi Manutii phraseologia laultum lectoribus porrigit utilitatis*; qua de re *Joannes Caselius*, strenuus ille politioris doctrinæ in Germania vindex, dignissimam eandem judicavit, quam eruditissima ornaret præfatione. Nec *Crauseri*, *Ulneri* & *Godeschalci phraseologia contemnenda* sunt. *Schoenslederi*, qui optimo judicio pulcherrimas loquendi formulas ex antiquis scriptoribus congregavit, *adparatus eloquentiae*, & gravissimo beati Cellarii & meo ipsius judicio, prodesse potest omnibus, qui industriam & operam suam Romanis sermonis culturæ consecrant. *Johachimi Langii*, quem omnes nativæ Latinitatis studiosi honoris caufsa adpellant, *anthologia Latinitatis*, ab erudito Luca Geigero in Germanicam linguam translata, digna est profecto, quæ ab industriis

F 4 ado-

adolescentibus diurna nocturnaque ver-
setur manu.

SECTIO III.

De

Auctorum lectione.

§. I.

Turpiter illos errare, qui e Grammati-
cis & Lexicis solis sine continua au-
torum veterum lectione ad Latinæ lin-
guæ facultatem perveniri posse opinan-
tur, *Jacobus Facciolatus* *), Italus doctri-
næ singularis laude insignis, peculiari de-
monstratum dedit oratione. Verum &
illos mera torqueri insania, qui ex usu tan-
tum & loquendi consuetudine veræ Latini-
tatis notitiam hauriri posse clamitant,
tam certum est, quam quod maxime.
Genuina Romani sermonis indoles a ne-
mine recte intelligetur, nisi, jactis funda-
mentis grammaticis, priscorum aucto-
rum lectioni multum dicatum fuerit stu-
dii.

§. II.

*) Hujus orationem celeberrimus *Walchius* præ-
fatione sua instruētam formis iterum descri-
bendam curavit *Lipsiæ*.

§. II.

Quod vero ad ordinem hujus lectio-
nis attinet, discrepant doctorum viro-
rum sententiae. Multis placet *Tanaquil-
li Fabri*, doctissimi quondam, Salmurien-
sis academiæ professoris, methodus **),
qua filium suum quatuor annorum spa-
tio ita Romanæ linguæ notitia expolivis-
se dicitur, ut cum viris certare posset in-
genio maximis. Aliis plane diversus se-
sse probat ordo legendi auctores classi-
cos. Paucis ego dicam, quid sentiam,
spe fretus, fore, ut mea sententia multo-
rum sibi conciliet assensum.

§. III.

Primum legenda censeo *colloquia Lan-*
gianæ grammaticæ subjuncta, & *colloquia*
clarissimi Freyeri Terentiana: in quorum
lectione in id omni diligentia incumba-
mus oportet, ut & vocabulorum hauria-
tur a discipulis notitia & analyseos gram-

F 5 maticæ

**) *methode pour commencer les humanites Grec-
ques & Latines, Salmurii 1672.* Utilissimis
hanc methodum observationibus illustravit
clarissimus *Andreas Samuel Gesnerus*, aliquot
programmatibus, quæ Rotenburgi ad Tuba-
rim publicavit.

maticæ comparetur facultas. Accedant deinceps tirones ad lectionem *Eutropii* ***), novi Testamenti *Castalionis* *), & fabularum *Phædri* **); quo in negotio in id plurimum industria conferendum est, ut & etymologiaz & syntaxeos ratio habeatur quam accuratissime.

S. IV.

Animo hisce præsidiis præmunito pueri legant relegantque necesse est laudatissimos illos purissimæ ac nativæ maxime latinitatis trium viros, *Cornelium Nepotem*, *C. Julium Cæsarem*, & *M. Tullium*

***) Hujus stylus tenuis est, ideoque puerili ætati maxime conveniens. Qui minus puram ejus diætionem esse clamitant, eos adnotaciones meæ, quibus eundem illustravi, ad meliorum adducere possunt sententiam.

*) Hujus ingentem esse utilitatem, diutinus usus, præstantissimus ille magister, multis comonstravit.

**) Harum argumentum cum magna coniunctum est voluptate, nec orationis puritas iis deest. Optimas Phædri editiones debemus *In. Christophoro VVolfio*, *Petro Burmanno*, & *Godofredo Richtero*,

lium Ciceronem. Quod ad Nepotem ^{***)} attinet, nemo est doctiorum, qui ignoret, nativum in ejus stylo inesse leporem, quo nihil est pulchrius, nihil ad allicendos puerorum animos aptius; quo factum, ut præstantissimus quisque habuerit eum in deliciis. In stylo Cæsaris ^{*)} omnes naturalem pulchritudinem admirabuntur, qui sobrium talibus de rebus ferre possunt judicium; id quod illustris *Jo. Wilh. Bergerus* ^{**) illustribus demonstravit exemplis. Ciceronem denique præstantissimum ^{***)} fuisse Romani sermonis artificem, quis est, qui negare audat?}

^{***)} Optimis utilissimisque editionibus nos donarunt *Augustus Buchnerus*, cuius genuinas annotationes in lucem protraxit *Andr. Stübelius*; *Christoph. Cellarius*, laudatus *Stübelius* & larvatus *Emanuel Sincerus*.

^{*)} Editiones Cæsaris, quas foras dederunt *Io. Georgius Grævius*, *C. Cellarius*, & *Leonh. Christoph. Rühlus*, singularem merentur laudem.

^{**) In eximio illo maximæque doctrinæ plenissimo de naturali pulchritudine orationis commentario.}

^{***)} Quintilianus lib. X. cap. v. ille, inquit, se proficuisse sciat, cui Cicero valde placebit.

deat? Cum vero Tullius multa scripserit, in libris ejus legendis certus observandus est ordo, ut faciliora præmittantur intellectu difficilioribus; quam ob causam in legendis *epistolis ad diversos*, item in evolvendis libellis *de senectute & de amicitia*, itemque in pertractandis libris *de officiis*, princeps figenda est opera: omnem vero laborem in his collocandum facilem reddet *Chrestomathiae Ciceronianæ*, quam amplissimè *Jo. Matthiae Gesneri* industriæ debemus, paullo accurrior lectio. Adeorum præterea accedo sententiam, qui existimant, utilitati suæ illos quam optime consulere, qui cum lectione Ciceronis lectionem *Aonii Palearii*^{*)} nec non *Pauli Manutii*^{**) conjungen-}

^{*)} Doctissimus hic veritatis testis Tullii puritatem, elegantiam, compositionem & numerum tam prudenter, tam feliciter expressit, ut reliquis omnibus ejus imitatoribus antecellere is mihi videatur. Opera ejus ex officina Wetsteiniana conjunctim prodierunt Amstelodami an. 1695. Novam eorum editionem clarissimus *F. A. Hallbauerus* nuper in lucem emisit.

^{**) Ad Ciceronianam dictionem nihil accedit proprius,}

jungendam esse statuunt: hi enim præclaro suo exemplo ostenderunt, quid ad fidua Ciceronis imitatio possit efficere, & qua ratione ejus dictiones in exprimendis rebus nostra ætate occurrentibus adhibere queamus commode.

§. V.

Verum quoniam ex Nepote, Cæsare & Cicerone non phrases solum excerptæ memoriaeque mandandæ sunt, sed elegans etiam totius orationis nexus ex iis addisci debet; haud difficulter intelligitur, & accuratissima lectione & sedula imitacione horum scripta in succum converienda esse & sanguinem: quid? quod nemo non videt, horum libros nunquam deberre seponi. Is vero ex horum adsidua lectione plurimum reportabit utilitatis, qui monitis meis, jam exponendis, obtemperabit. *Primo* caveas rogo, amicè lector, ne festines, aut gloria tibi fore existimes, si brevi temporis spatio quamplurima legeris: *deinde* inhæreas paullisper singulis vocibus, nec credas, te non instar tironis

propius, quam ornatissimæ Manutii epistolæ, si totius orationis ambitum confideres; plus tamen vigoris in epistolis Palearii inest.

nis sed veterani militis in hunc ingressum
esse campum : *postea* aveas scire ratio-
nem, quam habuit in mente, qui sic, non
aliter, scribere decrevit ; hac si arseris avi-
ditate, nihil ut jam notum transvolabis :
tum sollicitus sis de convenientia & blan-
do quasi concentu omnium in paragra-
phi ambitu conjunctarum vocum, ut per-
noscas, quomodo factum, ut unam omnia
formam obtinuerint : *præterea* curæ tibi
sit vocum formularumque solemnitas,
insigne illud styli decus : nec negligas
verborum delectum, sine quo incultus
plane est stylus ac stolidè vagus, sed dili-
genter potius consideres, cur hoc vel
illud verbum, postpositis ceteris, a scri-
ptoribus sit electum. Jam descendam
ad monita specialiora. In *præpositionibus*
haud raro vertitur magna pars elegan-
tiaz ***): hujus itaque ut notitiam tibi
compares, omnem des operam. Deinde
magna latet elegantia in vocum *geminatio-*
nibus, in quibus per μερισμὸν ejusmodi
vocabula conjunguntur, quæ fere ejus-
dem

***^o) Elegans est locutio, cum Nepos *qua ex re*
iratus inquit propter *quam rem iratus*.

dem significationis videntur, neque tamen sunt *). Tum animum tuum convertas ad *epitheta*, quæ solutæ orationi & elegantiam addunt & gravitatem, immo sine quibus plane imbellis est oratio **): ne igitur frigida epitheta adhibeas, necesse est, ut ea memoriae fideliter imprimas, quibus usi sunt auctores antiqui. Postea curam elegantium aptorumque *adverbiorum* habeas studiosissime, in quibus magnum inest ornamentum ***). Deinde cum in necrendis orationis vinculis, quibus periodus periodo & membrum membro jungitur, mira veterum, Nepotis in primis, Cæsaris, & Ciceronis, indu-

stria

- *) Hisce geminationibus usi sunt Cæsar, Cicero, & Muretus sæpenumero.
- **) Mirus in his epithetis artifex est Petronius, cuius *Satyricon* eruditis observationibus illustravit Petrus Burmannus. Ceterum epitheta Ciceroniana collegerunt Petrus Io, Nunnesius & Sebastianus Figulus.
- ***) Quid, quæso, est elegantius pulcherrimo adverbiorum usu, cum Nepos scribit in præfatione: *in virtutibus ejus commemoratur, saliasse eum commode, scienterque tibi cantasse,*

furia eluceat, aliis, nimirum Plinio & Tacito, occultum nexus quarentibus; ut mentis tuae oculos in commemorata vincula^{*)} conjicias, necesse est. Tum verberum collocationem, in qua magna vis est, animo tuo diligenter imbibas, ut priscum Latium in scriptis tuis conspicias. Integræ etiam phrases adspectentur sedulo, & ita quidem, ut ad sermonem integrum, atque ad causam, cui serviant, referantur: nec eminentes solum accurate considerentur loquendi formulæ, sed rariores etiam, ut manifestum sit posthac in scriptis tuis, te non usum esse locutionibus auctoritate carentibus; sed caveas, ne rariores quovis usurpes loco, cum & suspicio ambitionis apud doctos & soloecismi species apud indoctos judices^{**)} fugienda sit. Postremo figuræ & grammaticas & rhetoricas, in laudatis auctoribus obvias, ut consideres, rogo; immo discas

^{*)} *Suus & hic cuique genius*, inquit Jo. Lud. Praeschius, *aliterque historicus, aliter orator aut epistola scriptor telam suam contexit*, pag. 88. *præcept. stylī*, a G.N. Kriegkio edit.

^{**)} Vid. laudati Praeschi libr, alleg. p. 90.

discas ab iis, quem modum in figuris ser-
vaverint.

§. VI.

Quoniam vero hæc una lectione,
quamvis sedula ***) & docta, confici ne-
queunt; saepius iidem scriptores debent
relegi, ut in intimam eorum penetrare
possis familiaritatem. Lectio autem
Ciceronis semper cum lectione Cæsaris
ac Nepotis conjungenda est, ut, quicquid
forsitan tumoris ex lectione Ciceronis hæ-
serit, lectis Nepote & Cæsare, possit ab-
stergi: & eundem in finem lectionem Ma-
nutii a lectione Palearii nunquam sepa-
randam esse censeo, ut nimirum paullo
tumidior Manutii stylus *) mediocri Pa-
learii dictione temperetur. Ut vero in
intimam laudatorum auctorum familia-
ritatem pervenire queas modo faciliori,
necessæ est, ut parallelas, uti vocare eas

G

sole-

***) Ad sedulam lectionem quædam præter ha-
ctenus dicta requiruntur, quæ infra subjunge-
re decrevi. Hactenus enim ea solum tradi-
di, quæ præsertim in lectione Ciceronis, Cæ-
saris ac Nepotis observari debent.

*) Plus tamen tumoris in Mureti stylo inest,
quam in dictione Manutii.

solemus, imitationes **), ex iis proponendas, habeas tibi commendatissimas: de quibus infra pluribus verbis exponam.

S. VII.

Hisce auctoribus indicata ratione ver-
satis progrediendum est *** ad *Livium* *),
Ciceronis orationes selectiores **), *Plinii
epistolas* ***), *Taciti libros historiarum
& annalium* *), item ad *Suetonium* **),
Sallu-

**) Tales ego ex recentiori potissimum historia collectas Lipsiae anno 1722. edidi, & tum Cornelii tum Cæsaris dictionibus exprimendas pueris proposui.

***) Ciceronis tamen epistolæ ac libri philosophici, item Nepotis & Cæsaris libri nunquam debent seponi.

*) Optimas Livii editiones debemus *I. F. Gronovio & Io. Clerico.*

**) Haec utilibus notis instructæ sunt in *Cellarius* editione, nec non in illa, quæ Halæ Magdeburgicæ ex officina Rengeriana prodiit.

***) Has *Cellarius & Io. Christ. Herzogius* fructuosa ratione illustrarunt.

+) Inter Taciti editiones omne punctum ferunt illæ, quas Gronovius, Ryckius, & Christianus Hauffius foras dederunt.

**) Suetonium eximiis notis illustrarunt *Jo. Ge. Grævius & Sam. Pitiscus.*

Sallustium ***) , *Justinum* *) & *Vellejum* **) *Paterculum*. Hi vero legendi
G 2 sunt,

***) *Sallustium* observationibus egregiis expla-
narunt Jac. Gronovius & Jo. Minellius ; reli-
quis tamen omnibus palnam præripuit illa,
quam industriae clarissimi *Gottlibii Cortii* ac-
ceptam referimus.

*) Hic itylo usus supra ævi sui indolem nitido.
Laudem meretur editio *Justini Græviana* ; nec
laude sua privanda est illa, quæ Germanicis
notis instructa Augustæ Vindelicorum pro-
diit.

**) Hunc Petr. Burmannus & Jo. Ge. Walchius
explicuerunt adnotationibus admodum erudi-
tis, quas commendo quam diligentissime
omnibus, quibus fructuosa debet esse ejus le-
ctio. Commemoratis auctoriis addi etiam
possunt *Q. Curtius Rufus* & *Valerius Maxi-
mus*: rerum enim, quas enarrant, varietate
animos delectant. Præ ceteris vero libris ad
comparandam vocum & phrasium copiam ne-
cessariis commendatione longe dignissima est
celeberrimi Jo. Matthiae Gesneri *Chrestoma-
thia Pliniana*, quæ præcipua *historiæ natura-
lis C. Plinii Secundi* capita erudite illustrata
exhibit: quodsi idem vir præstantissimus ex
M. F. Quintiliano pari industria *chrestoma-
thiam* excerpteret, commoda juventutis egre-
gie augerentur.

funt, non ut imitatione accurata eorum stylum exprimere cupias, sed ut & vocum phrasiumque copiam & antiquæ historiæ notitiam tibi compares; stat enim sententia mea, qua, præter Nepotem & Cæsarem atque Ciceronem, nullum imitandum esse, ratus sum.

§. VIII.

Tum pro diverso studiorum fine (decernendum est, quod studiorum genus quisque sequi velit) in diversorum auctorum libris versandis purioris Latinitatis cupida juventus operam suam ponat necesse est. Qui ad Theologiam animum suum applicare constituit, *Lactantium* ***) legat, *Minutium Felicem* *), & *Sulpitium Severum* **), auctores priscae Latinitatis aman-

***) Hujus Christianorum Ciceronis opera notis illustrarunt Cellarius & Walchius: de stylo ejus peculiari dissertatione exposuit beatus Io. Aug. Krebsius.

*) Cellarianæ Minutii editioni haud postremus debetur locus.

**) Illa operum Sulpitii editio reliquis antecellit, quæ cum notis Joannis Vorstii & Jo. Clerici an. 1709. Lipsiæ prodiit: de stylo ejusdem peculiari dissertatione exposuit clarissimus Christianus Breithauptius.

amantissimos : hisque addat omnia scripta excellentissimi Theologi Jo. Francisci Buddei, partim historiam ecclesiasticam partim ipsam sacram Theologiam illustrantia, quibus nihil potest excogitari elegantius. Qui utilissimo Jurisprudentiae studio totum sedare decrevit, magnam sermonis elegantiam inveniet in illis veterum JCTorum fragmentis , quæ Justiniani imperatoris jussu in quinquaginta male digestorum libros redacta sunt, nec non in Cunæi *** orationibus , atque in scriptis illustrissimi Jo. Henrici N. D. de Berger, beati Jo. Philippi Slevogtii, perlustrium virorum Justi Henningii Boehmeri , Jo. Petri de Ludewig & Nic. Hier. Gundlingii, illustris Mich. Henr. Gribneri, Jani Vincentii Gravinæ, Jac. Car. Speneri, aliorumque , qui civitatem litteratam præclaris suis exornant meritis. Qui

G 3 ope-

***) Ego vero, inquit Cellarius, quod semper iudicaveram, & a magnis viris adprobatum sciebam, neque infructuosum fuisse longo usie didiceram; pro candore meo confessus sum, Petri Cunæi orationes mibi omnibus videri præferendas, in præfatione novæ editioni præmissa, quæ an. 1693. Lipsiæ prodidit.

operam suam arti Medicæ consecrare cupit, legat *Cornelium Celsum*^{*)} suavissimæ Latinitatis auctorem, qui artis medicæ capita dictione nitida expressit: & huic addat recentiorum Medicorum, qui Romani sermonis notitia ^{**))} floruerunt, libros præstantissimos, nominatim *Wedeliorum, Hofmanni, Jo. Jac. Baieri, Godofredi Thomasii, Laurentii Heisteri*, aliorumque, qui rem publicam litterariam doctrina sua adjuvant. Qui philosophiam naturalem, quam *Physicam* adpellamus excolere student, diligenter versent *Plinii* ^{***)} *historiam naturalem, rei rusti-*

^{*)} Lande dignæ sunt illæ editiones Celsi, quas in lucem emiserunt *Theod. Ians. ab Almeloveen & Georg. VVolffg. VVedelius.*

^{**)} Hosce medicos recensuit pariter atque celebravit amplissimus *Jacobus Burckhardus* in *medico humanitatis studiorum vindice.* Omnes puritate styli vincit medicus illustris *Jo. Godofredus N. D. de Berger.*

^{***)} Præstantissimas hujus editiones litteratis donarunt *Jo. Frid. Gronovius & Jo. Harduinus.*

ruflicæ scriptores *), hisque addat præstantissima *Physices compendia*, quæ summus *Buddeus*, *Jo. Melchior Verdrisius*, & *Jo. Frid. Wuchererius* in publicam emiserunt lucem. Qui data opera in nobilissimum *Philosophiæ studium* incumbere constituerunt, ex libris philosophicis *Ciceronis*, *Buddei*, *Gundlingii*, *Syrbii* & *Ephraimi Gerhardi* plurimum capient utilitatis.

§. IX.

Ingentem etiam fructum in soluta oratione præbet prudentior poetarum lectio. *Virgilii eclogæ* & *georgica*, item *Horatii epistolæ* atque *carmen de re poetica*, nec non *Ovidii libri tristium* & *fastorum proxime ad solutæ orationis indolem* accedunt: acutæ dictionis amantes maxime juvabit *Lucanus*.

§. X.

De reliquo in veterum auctorum lectione ratio etiam habenda est rerum,

G 4 primo

*) Hi collecti sunt olim a Roberto Stephano; hujus vero industriam quam longissime superavit celeberrimus *Jo. Matthias Gesnerus*, cuius nova laudatorum scriptorum editio brevi prodicit in lucem.

primo ut rituum antiquorum **) notiam tibi compares; deinde ut ea memoria mandes sedulo, quæ ad historiam tum litterariam tum civilem pertinent, præcipue ut varias philosophorum sectas, quibus antiqui scriptores addicti fuerunt, pernoscas: tum ut memorabiles sententias, pulcherrimas comparationes, & exempla memoria digna seponas: denique ut diversam indolem styli, quo modo hic modo alias delectatus fuit, perspicias.

§. XI.

Verum enim vero iterum iterumque suadeo, ut Nepotem, Cæsarem & Ciceronem continuo amore complectaris, hosque aureæ, priscæ & castissimæ Latinitatis trium viros solos accuratiori imitacione in succum & sanguinem convertas, reliquos vero tantum copiæ vocum phrasiumque

**) Propterea cum lectione auctorum Romanorum aliquod Romanarum antiquitatum compendium conjungendum esse censeo, cuiusmodi sunt Petri Josephi Cantelii liber de republica Romana, G. H. Nicupoorti succincta explicatio rituum Romanorum, & Pauli Christiani Hoepffneri Roma antiqua.

fiumque comparandæ causa legas, postremo ut recentiores etiam scriptores supra a me commendatos magni facias. Quod si consilio meo obsequium præstiteris, futurum esse consido, ut Latini sermonis evadas peritissimus.

SECTIO IV.

De
imitatione Auctorum.

§. I.

NE omnia fœde commisceas, tanquam suibus saginani pares, opus est imitatione: quæ haud erit difficilis, si imaginem propositam animo penitus receperis, & ea, quæ supra de monitis in legendis præstantissimis auctoribus observandis tradidi, combiberis. Imitatio vero est ars auctoris stylum ejusque ideam pulchra ratione exprimendi.

§. II.

In duos errores hic homines præcipiti casu dilabuntur, dum alii nullum imitandum temere credunt, alii omnes promiscue imitandos censent: illi nunquam ad veræ Latinitatis facultatem pervenient,

G 5

cuni

cum fieri non possit, ut lingua mortuæ nativum leporem sine imitatione adsequamur; hi foede omnia miscebunt & inæquali adsuēscēt dictioni, cum non possit non fieri, ut is, qui modo hunc modo illum imitatur, orationem compilet parum sibi similem.

S. III.

Stultissimum est, ad imitandum non optima quæque sibi proponere. Cujus vero stylus naturali pulchritudine clarius exsplendescit, quam Cornelii Nepotis, Cæsaris & Ciceronis? Ecquid nativo lepore excogitari potest præstantius? quid ad conciliandam aliorum benevolentiam aptius? Dices fortasse, naturam quemque suam hac in re debere sectari, ideoque iis Ciceronem esse commendandum, qui naturali quadam propensione ad sermonis ubertatem feruntur: Plinium iis, qui arguta dictione delectantur: Tacitum iis, quibus oratio gravis placet: Curtium iis, quibus sermonis flores sunt in deliciis; Cornelium Nepotem iis, quibus simplici oratione nihil est carius, antiquius nihil. At scias velim, te errare,

rare, licet verba tua magnam veritatis speciem præ se ferant. Imitaberis Cæsarem, neque tamen unquam evades Cæsar; imitaberis Ciceronem, neque tamen unquam evades Cicero. Si prudenter satis institueris imitationem, imitaberis aliquoties collaudatos pri scæ Latinitatis triumviros, ut naturali pulchritudini adsuecas; at a re ipsa, &, quod memoria dignissimum, a judicio & genio tuo vitam quasi, spiritum & robur trahet stylus tuus, ut tuus adpelletur partus.

§. IV.

Imitatio vulgo dividitur in *puerilem* & *virilem*: illa est, qua pueri manu quasi ducuntur ad effingendam periodum auctorum commemoratorum periodo similem & ad pernoscendum orationis eorum ambitum; hæc est, qua viri pariter atque adolescentes integrum orationis eorum habitum, itemque virtutes, inventionem, dispositionem & elocutionem exprimere contendunt.

§. V.

Quod ad *puerilem* imitationem attinet, errare illos adfirmo, qui eam imitatio-

tationem appellant puerilem, qua phrases tantum ex auctoris oratione, non curato ejusdem nexu & neglectis periodi rationibus, hinc inde anxie excerpuntur, & morose deinceps ad conficiendum centonem ineptissimum exhibentur. Talem enim imitationem, quam tamen multis in scholis invallis videas, servilem rectius, immo asinoram, dixeris, quam puerilem. Et iam in puerili imitatione de sermonis nexus solliciti simus oportet, ut pueri non sentientes & omni opinione celerius periodum aptam discant exprimere. Puerorum itaque utilitati bene consuluisse mihi videor, dum aliquot abhinc annis *parallelas* *) in Nepotem ac Cæsarem imitationes typis exscribendas curavi: talia certe styli exercitia fructuo-

*) Scilicet non verba solum & phrases sed ipsum plerumque orationis nexum & habitum imitatus sum, exemplis ex recentiori potissimum historia collectis. Errores typographicos, qui in illis adparent, nemo negligentiae meæ tribuet, cum Hildburghusa procul absit a Lipsia.

fructuosa discipulis meis fuisse, longo
usu edoctus sum.

§. VI.

Virilis imitatio & auctorum virtutes exprimit, & nexus orationis, quatenus rei tractandæ convenit, diligenter servat; quatenus vero ei adversatur, eundem mutat, aut addendo, quæ necessitas & rei indeoles postulat, aut subtrahendo quæ sunt superflua. De orationis nexu & periodorum habitu, viri pariter atque adolescentes virili imitationi indulgentes stylum aptant rebus, non res stylo, & omni animi contentione in id incumbunt, ut, plagi suspicionem evitatur, a suo ipso-tum judicio ac genio vitam stylus trahat & spiritum. Quoniam vero virtutes auctorum modo eluent in *inventione*, quæ in excogitandis argumentis versatur: modo in *dispositione*, quæ cum singulas totius orationis partes tum singula argumenta apto ordine collocat:

locat: modo in *elocutione*, secundum
quam varius est character, varia sunt
acumina, variæ denique pro rei ratione
periodi; omnis in id conferenda est
opera, ut decora imitatione res eo per-
ducatur, ut laudatos auctores exæque-
mus. In hoc negotio præstantissimo-
rum virorum labor adsiduus positus
fuit: omnes itaque adolescentes, qui
ad majora diligenter contendunt, ut
in hac quoque imitatione multum stu-
dii figant, amice rogo; ut vero voto
suo eo felicius potiantur, &, me salu-
taria monita tradidisse, intelligent, le-
gant quælo beati Casparis Sagittarii

*librum de lectione & imitatione
Ciceronis.*

CAP.

CAP. IV.

De

VARIIS STYLI EXERCITIIS.

§. I.

Stylus continua exercitatione perficitur: ut variis igitur ejusdem exercitiis ut jam exponam, ordinis exigit ratio. Prima styli exercitatio consistit in variatione nominum, in commendatis supra colloquiis occurrentium, per casus, verborum vero per genera, modos, tempora, personas & numeros: cum quo negotio conjungi debent breves **) syntacticarum præceptionum imitations, quibus puerili ætati sensus earum suggeritur.

§. II.

**) Tales exhibet *Fridericus Rombergius* in *exercitationibus syntacticis*; sed quilibet præceptor artis docendi gnarus sua industria ratione imitatiunculas conscribet, easque Grammaticæ suæ accommodabit.

§. II.

Deinde accedendum est ad translationes ex lingua Latina in vernaculam, quæ mirificum pariunt fructum; cum e contrario illi laborem prorsus inutilem tironibus injungunt, qui præcipiunt, ut e sermone patrio in Romanam linguam aliquid transferant.

§. III.

Huic labori succedant imitationes parallelæ, quas, ex mea quidem sententia supra explicata, pueriles etiam possis dicere: dici enim vix potest, quantum fructus ex iis hauriant tirones; id quod longo usu cognovi atque perspexi.

§. IV.

Tum hoc pueris detur negotium, ut aliquot interdum periodos Nepotis, aut Cæsaris ac Ciceronis, in Germanicam linguam translatas, aliis, sed idem significantibus, vocibus & phrasibus reddant: sic & vocabulorum proprietas pernoscitur, & verborum copia conquiritur. Quærendæ enim sunt voces ejusdem notionis, quas *synonyma* adpellare consueverunt philosophi; & phrases evolvendæ, eandem significandi vim habentes.

§. V.

§. V.

Postea ingenia puerorum exerceantur componendis periodis oratoriis, cum simplicibus tum compositis: quarum usus modo prorsus incomparabili stylū reddit faciliorem; plenior tamen de periodis doctrina in futura demum projiciatur tempora. Cum hac vero exercitatione conjungatur labores ille, quem antea in elaborandis imitationibus parallelis ponendum esse adfirmavi: sic enim omni opinione celerius periodum effingere discent pueri.

§. VI.

Deinde instituantur crebriores variationes propositionum per figurās rhetoricas, ut, adjuvante magistro, earum indoles perspiciatur. Hoc sane exercitium & ingenium strenue excitat & iudicium acuit mirifice, si accedat prudentis præceptoris sobria institutio.

§. VII.

Adhac monstretur adolescentulis, quomodo propositio data dilatari quotque modis mutari possit: sic enim via panditur amplificationi, qua ea, quæ

H pres.

pressius ab auctore quodam dicta sunt,
dilatamus; quam mox explicabo verbo-
sius.

§. VIII.

Sine mora deinceps adolescentuli ac-
cedant ad *chrias* cujuscunque generis.
Chriavero est *** concinna propositio-
num seu periodorum connexio, quibus
aliqua sententia explicatur, confirmatur
& illustratur. Multi sunt, qui chriarum
commonstrarunt rationes; inter quos
eminent *Christianus Weisius*, ille multo-
rum præceptorum oratoriorum artifex,
Godofredus Ludovici, gymnasii Coburgen-
sis academici quondam director & pro-
fessor, & *Tobias Eckhardus*, Quedlinbur-
gensis gymnasii rector: mihi vero Eck-
hardi præceptiones visæ sunt utilissimæ
& maxime perspicuæ. Plurimum diffi-
cultatis inest in *chriis Aphthonianis*, quas
invenit *Aphthonius Sophista*, qui An-
tiochiæ natus saeculo post salutarem Chri-
sti nativitatem secundo floruit, & pro-
gymnasma-

*** Vox *chriæ* significat *usum*, & hoc loco vo-
cabulum artis est, quia *chriæ*, si recte adhibe-
antur, usum præstant cum in vita civili, tum in
dicendi ratione.

gymnasmata, quibus ad dicendi facultatem juventus præparetur, conscripsit, in quibus etiam *chria* locum habet; sed si beati Ludovici & clarissimi Eckhardi præceptis usus fueris, omnis tolletur difficultas.

§. IX.

Fructuosum styli exercitium est quoque *coardatio*, quæ est pressa atque adstricta eorum, quæ cum diffuso ambitu & copioso verborum strepitu ab auctore quodam dicta sunt, expositio; quod negotium facili labore peragi potest, si, ut exemplo rem illustrem, quædam Ciceronis, Mureti & Manutii, qui numerosas plerumque exhibent periodos, omni verborum luxuria præscissa redigantur ad brevitatem. Hic adolescentulus experiri potest, quid ingenium ipsius efficere queat.

§. X.

Huic exercitio succedat *amplificatio*, quæ ea, quæ pressius ab auctore quodam dicta sunt, per omnes amplificandi modos *) dilatare studet; cui servire possunt

H 2 permul-

*) Non solum tropi & figuræ, sed etiam omnes circum-

permulta Taciti, Plinii & Sallustii, loca,
quæ diducantur & copiose ubertate
orationis exprimantur.

§. XI.

Animo hisce adminiculis ad majora
præparato operam navet adolescens, ut
epistolarum conscribendarum rationem
perdiscat. Multi sunt, quos de arte epi-
stolographica præcepta tradidisse scio.
Desiderii Erasmi Roterodami præcepta lu-
culenta sunt omniumque veterum su-
*perant industriam**): Justi Lipsii regulæ*
utiles sunt, si instructæ sint eruditis Chri-
stopori Heidmanni notis: Christophori
Schraderi dispositiones variarum episto-
larum dignæ fuerunt, quæ a Jo. Burchardo
Majo luculentis illustratae sunt observatio-
nibus:

cumstantiæ quis? quid? ubi? quibus auxi-
liis? cur? quomodo? quando? fontes ampli-
ficationis porrigunt; nec vocum pariter at-
que phrasium geminationes, quarum obser-
vationem supra commendavi, negligendæ
fuit.

**) Erasmi, Lipsii & Schraderi præcepta in
unum collecta corpus edidit *Justus a Drans-*
feld, qui Goettingensi gymnasio magno olim
fuit ornamento.



nibus: *Christophori Adami Ruperti*, & *Jo. Starckii* præceptiones parum laudis merentur; at *Melchioris Junit* institutiones omni laude sunt dignissimæ. Hisce tamen omnibus palmam dubiam reddidit *Dan. Georgii Morboſii* de ratione conscribendarum epistolarum liber singularis, quem eruditissimis accessionibus locupletavit collaudatus antea *Majus*, Kiloniensis academiæ professor; cum quo conjungendas censeo *Jo. Andreæ Planeri* epistolas enthymematicas, quibus nihil inveniri potest elegantius, utilius ***) nihil. Quod ad ipsas epistolas attinet, omnis res credit ad titulum, epistolæ corpus, & subscriptionem nominis. Titulus vel externus est vel internus. Externus complectitur elogia communia, in quibus decori civilis ratio habenda; & nomen illius, ad quem scribimus, itemque munus quo is fungitur; & denique locum, cuius est incola, qui quarto casu, ex summorum virorum judicio, exprimendus est. Titulum internum quidam efferunt casu quin-

H 3

to;

***) Singula enim præcepta elegantibus illustravit dispositionibus epistolarum, & simul Ciceronis, Plinii aliorumque exempla monstravit.

to; alii tertio, cui addunt *S. P. D.* & no-
men suum primo casu exprimunt, pri-
scos Romanos imitaturi. Si ipsum epi-
stolæ corpus consideres, alia est ratio epi-
stolarum ad familiares mittendarum, in
quibus non solum libera est dispositio, sed
& stylus tenuis; alia epistolarum elabo-
ratorum, quas ad patronos aliasque vi-
ros muneric amplitudine conspicuos per-
scribimus, in quibus & dispositio debet
esse accuratior *), & stylus mediocris.
Quod ad subscriptionem nominis atti-
net, illa plane negligitur ab iis, qui in ex-
primendo titulo interno antiquam Ro-
manorum formulam *S. P. D.* adhibue-
runt; reliqui vero & amplitudinem il-
lius, ad quem scribunt, iterum indi-
cant **), & suo ipsorum nomini mo-
bis auxili nomine & subiecto destiae

*) Sequantur quæso adolescentes Planeri laudata
enthymemata, quæ saeculi nostri genio sunt
accommodata.

**) At purioris sermonis amantes omni studio
cavent, ne usurpent locutiones abstractas, Ger-
manicæ linguae imitatione inventas, e. g. ma-
gnificentie vestre cultor. Hæc novitas bar-
bara in stylo Latino reprobationem mere-
tur.

desliæ & verecundiaæ indicem præponunt.

§. XII.

Epistolis succedant declamationes scholasticæ, quæ ingenii exercendi ergo & eloquentiæ ostendandæ causa de rebus ad eruditioñem pertinentibus, cum historicis tum dogmaticis, in scholis & gymnasiiis habentur. Quod si fata doctrinarum philosophicarum & historia præcipuum dogmatum theologicorum talibus declamationibus recensorentur, duplex inde ad discipulos redundaret utilitas: nam & litterariæ historiæ notitia sic imbueretur eorum animus, & styli Romani compararetur facultas. Ceterum ad scholasticas declamationes merito etiam illæ referuntur oratiunculæ, quas aptus & idoneus præceptor ex publicis rerum novarum tabulis eum in finem potest effingere, ut disciplinæ suæ alumni, personas legatorum magnorum Principum sustinentes, memoriter easdem recitare queant: in quibus recitandis in id incumbant juvenes, ut decoris gestibus utantur, liberum vultum ostendant, & clara voce

H 4

omnia

omnia exprimant. Dici vix potest, quam fructuosa sit hæc exercitatio.

§. XIII.

Quoniam præterea sine copia vocum & phrasium fieri non potest, ut *delectus* instituatur; bene consulunt utilitati ætatis juvenilis, qui suadent, ut unus auctor alterius interdum ore loqui doceatur. Id negotium feliciter succedet, si, exempli causa, aliquis ex Nepote capiatur locus, isque, sensu retento, vel Ciceronis, vel Velleji Paterni, vel Livii, vel alius auctoris verbis exprimatur. Illi eleganteris Latinitatis indices, phrases præstantissimas exhibentes, quos supra commemoratos fuisse memini, plurimum hoc in labore porrigunt auxilii.

§. XIV.

Crescente humerorum robore augetur oportet ingenii exercitatio: quem in finem deinceps opera danda est, ut caput aliquod aut sermo aliquis brevior ex tenui dicendi genere evahatur in mediocre. Hoc vero labore aliquoties perfecto, ingenii nervos in id intendant adolescentes, ut sermonem ex mediocre dicendi genere in sublime attollere discant.

Sic

Sic brevi tempore experientur, quam felices in Romani sermonis cultura fecerint progressus.

§. XV.

Tum accedendum est ad solutionem carminis, sive elegantem carminis in prosam mutationem; quo exercitationis genere, cum id styli poetici & prosaici discrimen liquido commonstret, ipsos veteres non sine fructu *) usos fuisse novimus. Ubi vero res eo deducta, ut adolescentes poetarum dicta metri legibus solvere didicerint, utili perfungentur labore, si etiam historicorum elegantes narrationes numeri poetici legibus adstringere studuerint. Illis exemplo esse poterit industria Nicodemi Frischlini, qui Virgilii, Horatii & Persii elegantissima dicta in prosam ingeniose convertit: his exemplo erit laudibus dignissima Eobani Hessi diligentia, qui spiritus plenis-

H 5 simos

*) Is præfertim pluriūm fructus percipiet, qui elegantissimas Virgilii descriptiones, in quibus mirus fuit artifex, in sermonem a metri legibus liberum diligenter & accurate commutabit.

simos sanctissimi Davidis psalmos in poetum stylum erudite transtulit.

§. XVI.

Qui præterea ex Græcis auctoribus aliquot loca in Latinum sermonem transfrerunt, utilissimum negotium suscipiunt. Ad verbum ea transferre, nec magnæ utilitatis est nec magnæ artis; is vero, quid ingenium ipsius efficere valeat, facile cognoscet, qui, non curatis verbis singulis, mentis scriptoris explicandæ gratia, dicta ejus copiose circumloquetur: qua in re feliciter is progredietur, cuius oculis exemplum Angeli Politiani, viri celeberrimi, obversabitur, qui in Herodiano copiosa paraphrasi explanando memorabilem collocavit operam.

§. XVII.

Quatuor adhuc restant exercitacionum genera, *programmata* nimirum, *orationes*, *panegyrici* & *inscriptiones*. Quod ad programmata attinet, stylus in iis debet esse mediocris, perspicuus, & interdum, pro rei tractandæ ratione, gravis: thema inveniendum est haud vulgare, sed jucundum & consideratione dignum, & ita denique comparatum, ut aut orationi,

tioni, cui præmittitur, aut, si non præmittatur orationi publice habendæ, loco temporique conveniat. Thematum inventio non erit difficilis, si nexus cum integrarum disciplinarum tum specia- lium veritatum, quo una cum altera con- jungitur, cognitum habeat scriptor at- que perspectum. Nostra ætate excel- lunt programmata Jo. Franc. Buddei, Christiani Gottlibii Schwarzii, J.C. Boeh- meri, Jo. Casp. Posneri, Erhardi Reuschii, Jo. Michaelis Hallwachsii, & aliorum.

§, XVIII.

Ad orationes pervenio, quæ non mi- nus mediocre dicendi genus postulant. *Exordium*, quod primum inter dicen- dum, & in elaboratione & in partium orationis dispositione sit ultimum : variis autem sunt exordiendi modi, cum modo ab auditorum dignitate, modo a statu & doctrina oratoris, modo a loco, modo a tempore, modo ab occasione dicendi, modo a re ipsa exordia petere queamus ; de reliquo exordium octavam tantum orationis partem impleat, & indicatæ
propos-

propositioni subnectatur brevis *captatio benevolentiae*. Quod deinde ad ipsum orationis corpus attinet, thema non sit tritum & ubivis obvium : argumenta non ex ineptis istis locis *topicis* sed ex ipso disciplinarum nucleo petantur, & in certas classes apte constitutas distribuantur, & denique ope enthymematum oratoriorum ita connectantur, ut nihil negligatur, quod orationem elegantem & auditu dignam potest efficere. In epilogo seu conclusione affectus auditorum concinentur, ut animi ad adsensum perducantur : interdum adhortatio, interdum gratiarum actio, interdum votum subiungitur. Specialia præcepta tradere, mihi non est animus ; cum hoc in libro de styli elegantia maxime sim sollicitus, cuius in orationibus potissimum habenda est ratio.

§. XIX.

Panegyricus est oratio solemnis, in laudem personæ illustris stylo sublimi confecta, & in splendido illustrium ac celeberrimorum virorum confessu dicta.

Dupli-

Duplici ratione conscribuntur panegyrici : aut enim vitam viri cuiusdam illustris ordine perensemus, & narrationibus sententias dogmaticas admissemus **); aut thema quoddam pertractandum suscipitur, & ex vita laudandi viri illustratur ***). Ideo non solum ex historia sed etiam ex disciplinis argumenta petantur necesse est : & quo illustrior est vir laudandus, eo sublimiorem oportet esse stylum *). Ceterum in panegyricis

**) Talem panegyricum celeberrimus *Jo. Hermannus Schminckius* in laudem *Friderici*, Hassiae Landgravii, nunc augustissimi Suedorum Gothorumque Regis, an. 1715. habuit, cum tantus Princeps augustissimam *Ulricam Eleonoram*, Suedorum Principem regiam & regni heredem, Holmiæ in matrimonium duxisset.

***) Talem orationem panegyricam in sempiternam memoriam incomparabilis *JCti Sam. Stryckii* Halæ Magdeb. an. 1710. habuit celeberrimus *Jo. Gottl. Heineccius*, quam subiectam video hujus *fundamentis stylis cultioris*.

*) Idcirco nimis longas orationes panegyricas
non

ricis conscribendis argumenta recte debent disponi, & per judicia moralia conjungi. In epilog^o interdum consolatio, interdum gratulatio subnectitur, pro diversa rerum, quæ oratorem circumstant, ratione.

§. XX.

Inscriptiones ***) eruditæ in antiquas & novas recte dividuntur ***). Antiquæ & brevitate & concinnitate & interdum sermonis

non adprobo, quia timendum, ne impetus, quo ad sublimis styli studium ferimur, langeat, priusquam epilogum attingamus.

**) Non omnes inscriptiones sunt eruditæ; multæ enim in portis, pontibus, aliisque operibus publicis ponuntur, in quibus nihil adparet eruditæ.

***) Alii inscriptiones in vulgares dividunt & argutas; id quod ii præsertim facere solent, qui e Christiani Weisii schola prodierunt: fictis enim illis & fuso inepto illitis argutiis, quas in Italia excogitasse sibi videntur homines otiosi, nimirum delectantur.

sermonis sublimitate pariter atque acumen lectoribus sese commendant; antiquæ vero vocantur, quia auctores illarum puræ & antiquæ Latinitatis sunt tenaces, & lapidarem veterum stylum, quantum rei ratio patitur, imitaatur. In hisce inscriptionibus palmam reliquis præripuisse mihi videtur JCtus illustris Jo. Philippus Slevogtius, sempiternum illud Jenensis academiæ ornamentum, cuius *inscriptiones variæ generis*, paucis abhinc annis conjunctim editæ, cum summo doctorum virorum plausu exceptæ sunt, cum & propter concinnitatem & sublimitatem & acumen sermonis antiquum Latium in illis *) conspiciatur. Novæ *inscriptiones* sunt, quæ ex meritis argutiis, ex verborum lusu deductis, conflatæ cum antiquo illo *inscriptionum generis*.

*) Laudem etiam merentur *inscriptiones* doctissimorum virorum Christ. Gottliebii Schwarzi, J. C. Posneri, Godofredi Vockerodti, & Joh. Christophori Kiselwetteri. Veterum *inscriptiones* collegerunt Janus Gruterus, Thomas Reinesius & Onuphrius Panvinius.

nere nihil habent commune, nisi quod veterum exemplo breves longique versus promiscue pronuntur; novæ vero vocantur, quia recentioribus demum temporibus a Laurentio Pignorio, Emanuele Thesauro, & aliis Italis, temere sunt excogitatae, & a Gallis deinde ac Germanis **) in deliciis habitæ. Talem verborum lusum in inscriptionibus Latinis prorsus rejicio; in Germanicis vero, si argutiae istæ cum rei veritate & sermonis gravitate consistere queant, non penitus damno.

§. XXI.

Ad finem dum propero, celebris illa quæstio: *num colloquia Latina stylum Latinum corrumpant?* dijudicanda mihi occurrit. Non ignoro, discrepare doctorum virorum hac de re sententias. Multi sunt, qui Romani sermonis usum colloquiis maturius exercendum esse

conten-

**) Hisce in nugis excelluerunt præsertim Christianus Weistus & Philippus Grossgebauerus, quorum merita alias magni facio.

contendunt; quorum argumenta non tantum collegit verum etiam defendit clarissimus Jo. Christophorus Otto, lycei Arnstadiensis rector dignissimus, in peculiari dissertatione *de Latinæ linguae usu maturius exercendo* Lipsiæ aliquot ab hinc annis habita. At multi quoque sunt, qui, cum ipsi Latine loqui nesciant, colloquia Latina plane rejiciunt. Paucis ego exponam, quod sentio. Styli prius rationem ducendam, postea vero colloquii Latini facultatem comparandam esse, censeo. Nihil quidem novi profero, sed ea potius adfirmo, quæ dum ab illo præcipuo castæ Latinitatis magistro, Marco Tullio Cicerone, dicta sunt; attamen veræ juvenum Romanæ eloquentiæ cupidorum utilitati consulere studeo. Cicerø, quem honorificentissime semper adpello, *stylum*, id est, continuum scribendi exercitium, optimum artis bene dicendi effectorem ac magistrum esse, pronuntiavit ingenue. Quo minus ad hujus sententiam accedam, nihil est, quod impedit. Nisi adsidua scriptio colloquiorum Latinorum fun-

I

damen-

damentum fuerit, nihil pulchritudinis, nihil puritatis, nihil ornatus adparebit in sermonibus. Quodsi vero Latinæ collocutiones ab adolescentibus ingenio valentibus diligenterque in scribendo exercitatis prorsus negligantur, non potest non ad eos plurimum inde redundare incommodi.

§. XXI.

Et hæc quidem sunt, quæ in usum juventutis melioribus litteris operantis de stylo Latino tradere typisque committere volui. In firmissimam certissimamque venio spem, fore, ut ii, qui præceptionibus meis, ea, qua pars est, ratione, utuntur, ad veram eloquentiam dictionisque castitatem feliciter pervenire queant. DEVS florentem Germaniæ juventutem ad diligentem styli Romaniani culturam postero etiam tempore excitet!

INDEX

INDEX CAPITVM

quæ hic libellus complectitur.

CAP. I.

de styli Latini virtutibus.	1
Sectio I. de styli puritate.	ibid.
II. de styli perspicuitate.	18
III. de styli dignitate.	25
IV. de styli suavitate.	32
V. de styli ornatu.	40

CAP. II.

de diversis styli generibus.	47
Sectio I. de stylo tenui.	ibid.
II. de stylo mediocri.	50
III. de stylo sublimi.	53
IV. de reliquis styli generibus.	57

INDEX CAPITVM.

CAP. III.

- de stylis Latini adminiculis. 59
Sectio I. de Grammaticis Latinis. ibid.
II. de Lexicis Latinis. 66
III. de veterum auctorum lectio-
ne. 72
IV. de veterum auctorum imita-
tione. 89
-
- de variis stylis Latini exercitiis. 95

S. D. G.



CAE

SI

LAV.

Ting Cb 3590 ^m
LAVENTII REINHARDI
REGIOMONTANI FRANCI

ORATIO

INCREMENTIS QVÆ PHILOLOGIA
LATINA INDE AB HVIVS SÆCVLI
INITIO AD NOSTRAM VSQVE
ÆTATEM OPERA GERMANO-
RVM CEPIT

DIE XIV. OCTOBR. M DCC XXVI.
HILDBVRGHVSÆ

PUBLICE DICTA

CVM

GRÆCÆ ET LATINÆ LINGVÆ
ITEM
POESEOS PROFESSIONEM
IN
ILLVSTRI GYMNASIO
ERNESTINO-FRIDERICIANO
SVSCIPERET.

OMNIVM ORDINVM
 VARIISQVE HONORVM ORNAMENTIS
 CONSPICVI
 ET DIGNITATE PARITER ATQUE
 DOCTRINA ILLVSTRES AUDITORES,
 PROFESSORES CLARISSIMI, COLLEGAE
 CONIVNC'TISSIMI,
 TVQVE FLORENTISSIMA MELIORVM
 LITTERARVM STVDIOSAE IVVENTV-
 TIS CONCIO,
 PATRIAЕ SPES, PARENTVM EXSPE-
 CTATIO,
 MEA VOLVPTAS!

MUltum profecto diligentia, mul-
 tum studii, multum cura in eve-
 henda litterarum studia Germa-
 ni superiore saeculo contulerunt. Illis
 praesertim temporibus, quibus decimum
 septimum a nato Christo saeculum ad fi-
 nem vergebant, singulae totius eruditionis
 partes eximia ceperunt incrementa. Ve-
 nerabiles sacrarum litterarum interpre-
 tes id non ibunt inficias, nisi litterariae
 historiae expertes prorsus sint atque igna-
 ri

ri. Jurisconsulti rerumque publicarum antistites, qui, quid illis temporibus in orbe litterato gestum sit, cognitum habent atque perspectum, lubentibus animis mihi præbebunt adsensum. Qui utilissimæ scientiæ, quæ rationem morbis medendi commonstrat, periti sunt, haud difficulter ad meam accedent sententiam. Quod si quis forsitan ex philosophorum numero adfirmare auderet, me ab recta veritatis via aberrare; is luctuositatis Perillustris Christiani Thomasii & summe reverendi Ioannis Francisci Buddei exemplis refutari posset atque convinci: cum laudati hī viri eclecticam philosophandi rationem ab inquis adversiorum calumniis fortiter vindicarent, dulcissimamque philosophandi libertatem dilectissimæ patriæ suæ salutiter restituerint eamque feliciter stabili-
verint. Magias quoque elegantiori literaturæ tum factas esse felicitatis accessiones, nemo est, qui nesciat. Optimos vero Germanos nostros, hoc ipso, quod viginti & sex abhinc annis auspicato ingressi sumus, sæculo, a pristino illo, quo in extollendas litteras ferebantur, ardo-

re non descivisse, sed in eo potius omni animi contentione perseverasse, neminem Vestrum Auditores venerandi, fugit. Revocate quæso, Vobis in memoriam præclara illa merita, quibus venerabilis Theologorum in Germania cœtus sacrarum litterarum studium adhuc ornavit: perpendite immortali laude dignissimos celebrium JCtorum conatus, quibus in id incubuerunt, ut Jurisprudentia universa, si non ad summum perfectionis evehheretur fastigium, quam plurimis certe adaugeretur incrementis. Quantus ad nobilissimæ artis Medicæ incrementa hoc seculo cumulus accesserit, ex Andreæ Ottomari Gælickii historia medicinæ universalí haud obscure poterit cognosci. Quam egregie, quam præclare, quam utiliter singulæ Philosophiæ sanioris partes continua atque adsidua Germanorum industria adhuc & emendatae & adaucta fuerint, si ostendere conarer, illud utique comprobatum irem, quod clarissima & una omnium voce confirmatur. At non miaori cura carissimi Germaniæ nostræ cives in utilissimum pariter atque jucundissimum Philologiae

lologiæ studium incubuerunt. De felicissimis Græcæ & Hebraicæ philologiæ factis, quibus ea in Germania adhuc usæ est, pluribus verbis jam differere nihil attinet. Tantum in præsenti animus mihi est, paucis comprobare, *Philologiam Latinam* inde ab hujus saeculi initio ad nostram usque etatem opera Germanorum magna cepisse incrementa. Quod argumentum muneri, quod mihi quatuordecim abhinc diebus delatum est, haud inconveniens judicabitis, Auditores summa observantia a me colendi. In certissimam quoque ingredior spem, fore, ut pro Vestro in me favore benevolas aures mihi præbeatis.

Pleniorum historiæ Romani sermonis cognitionem principem philologiæ Latinæ partem esse, omnes mecum ingenue fatentur, qui rem adcuratius paullo considerant. Plurimum vero studii in Latinæ sermonis historia plenius enarranda sex excellenti doctrina insignes maxime viri hoc saeculo collocarunt, *Christophorus nimirum Cellarius*, *Cyriacus Güntherus*,

rus, Iacobus Burckhardus, Io. Georgius Walchius, Iacobus Fridericus Reinmannus & Io. Nicolaus Funcius. Beatus Cellarius, gravissimus quondam politioris literaturæ vindex, anno millesimo septingentesimo primo, in incluta Fridericia, quæ Halæ Magdeburgicæ floret, academia singularis eruditionis plenissimam publice habuit *dissertationem*, qua varia Latinæ linguæ fata eleganter enarravit. Eodem anno Güntherus, qui Illustri gymnasio Gothano magno quondam orname-
nto fuit, primam *latinitatis restitutæ* partem in publicam lucem edidit, eique brevem adjunxit adpendicem, quæ suc-
cinctam linguæ Romanæ historiam com-
plectitur. Burckhardus, cuius insignia, quibus hoc gymnasium ornavit, merita optimus quisque collaudat, commenta-
riis de fatis Latinæ linguæ in Germania, anno millesimo septingentesimo decimo
tertio ab se editis, lectu dignissimam præ-
misit præfationem, qua de Latinæ linguæ historia erudite & eleganter exposuit.
Hunc secutus est Walchius, & in *critica Latinæ linguæ historia*, quam anno mille-
fimo

simo septingentesimo decimo sexto
 Lipsiae foras dedit, omnia, quæ de variis,
 quæ Romanorum sermo expertus est,
 fatis invenire usquam potuit, diligenter
 admodum collecta ante oculos lectorum
 posuit. Anno millesimo septingentesi-
 mo decimo octavo Reimmannus, sacro-
 rum Hildesiensium antistes, *historiam vo-*
cabulorum linguae Latinæ evulgavit, quam
 a primo nobilissimæ linguae ortu ad præ-
 sens usque tempus, in quod nostra ætas
 incidit, secundum consuetam sæculorum
 annorumque seriem deduxit, quamque
 dignissimam censeo, quæ ab omnibus
 purioris Latinitatis cultoribus studiose
 perlegatur. His denique anno millesi-
 mo septingentesimo vicesimo Functius
 accessit, & aliquot libris de Latini ser-
 monis origine, incrementis, perfectione,
 decrementis, interitu & restauratione
 quam copiosissime cœpit exponere: tres
 doctissimi hujus viri libri priores, in qui-
 bus linguae Romanæ origo, pueritia &
 adolescentia adumbratur, magno cum
 adplausu sunt excepti; reliquos vero, qui
 typis nondum exscripti sunt, viri erudi-
 tissimi

oinalq

tissimi tam avide exspectant, ut eorum
fere desiderium amplius ferre nequeant.

Deinde ad philologiam Latinam etiam
pertinent Grammaticæ Romani sermonis
institutiones. Quemadmodum domus
firme innixa fundamento haud facile
corruit: sic quoque jactis feliciter solidis
fundamentis Grammaticis integrum phi-
lologicæ ædificium facile potest super-
struи. Verum ut & melioribus institu-
tionibus Grammaticis uti queat priscæ &
genuinæ Latinitatis cupida juventus,
Germanorum effecit industria. Quanto
studio Latinam Grammaticam perpolive-
rit clarissimus *Ioachimus Langius*; quan-
tum laboris in conficiendo pleniore
Grammatices systemate collocaverit *Ge-
orgius Henricus Vrfinus*; quam utilibus,
quam succinctis adnotationibus *Cellaria-*
nam Grammaticam non minus adauxerit
quam emendaverit summe reverendus
Michael Henr. Reinhardus; quam accurate
præcipua Grammatices capita explanave-
rit doctissimus *Benjaminus Hederichius*;
quantum industria in novam eamque
plenio.

pleniorem Grammaticam conseriben-
dam eruditissimi quidam viri, qui scholis
Marchiæ Brandenburgicæ cum laude ho-
die præsunt, paucis abhinc annis contu-
lerint; quis est vestrum, Auditores vene-
randi, qui ignoret?

Qui præterea Latinus evadere cupit
philologus, is utilibus ac copiosis Lexicis
carere nequit. Olaus Borrichius, medi-
cus Hafniensis doctrina illustris, in eru-
dita, quam de Lexicis Græcis & Latinis
confecit, dissertatione superiori saeculo
adfirmare non dubitavit, quo notius esset,
insignem liberalibus studiis a Lexicis ad-
ferri fructum, eo indignius quoque esse
censendum, tanti momenti rem nondum
ulterius esse proiectam, & nondum in Le-
xicis expeditam esse viam. Quod si vero
nostra ætate adhuc viveret, confiteretur
sane necesse esset, istis hodie haud amplius
opus esse querelis. Quis enim nescit,
quantum operæ in augendo Lexico Rey-
heriano fixerit hoc saeculo haud vulgaris
doctrinæ vir *Christianus Junckerus*?
Quem præterit, quantum industriae *Christoph.* *Cellarius*, *Christianus Falsterus* &

An-

Andreas Siübelius in expoliendo, emendando & locupletando Lexico Fabriano locaverint? Quis, quæso, rerum novarum tam ignarus est, ut nesciat, quantam diligentiam verissimum illud Illustris gymnasii Vinariensis decus & ornamen-tum, *Io. Matthias Gesnerus*, in id nuper contulerit, ut laudatus Basilius Fabri thesa-rus eruditionis scholasticæ curis & doctis suis observationibus ditior haud ita pri-dem prodierit. Quodsi illud purioris Latinitatis Lexicon, quod beatus *Andreas Iulius Dornmeierus* enixe parturiverat, in lucem fuisse emissum: id quod certo fa-cetum esset, si diuturnior hujus vitæ usura doctissimo huic viro contigisset; habe-ret profecto priscæ Latinitatis cupida ju-ventus thesaurum omni pretio superiorem: Dornmeierum enim tali operi per-ficiendo haud imparem fuisse, reliqua florentissimi ejus ingenii monumenta af-fatim testantur. Lexicographis illos ad-jungo, qui de Latinæ lingua particulis ea-rumquæ usu luculenter hoc sæculo expo-suerunt. *Io. Conradus Schwarzius*, insignis utique Criticus, anno millesimo septin-gente.

gentefimo nono Tursellini de particulis libellum multis selectæ Latinitatis opibus locupletavit, eoque labore magnam ab eruditis iniit gratiam : licet enim Jacobus Facciolatus, Italus Latine doctissimus, qui & ipse pulchram & elegantem Tursellini editionem suis observationibus instructam Patavii typis excudendam curavit, ostendere ausus sit, innumerabilibus Schwarzianam editionem refertam esse nœvis & maculis ; celeberrimus tamen Schwarzius caussam suam adversus Italum strenue egit ac fortiter, ejusque errores lepide , acerbe & peracute perstrinxit. *Georgii Dieterici Bohmii de particulis linguæ Latinæ commentarius dignissimus quoque fuit, quem celeberrimus C.A. Heumannus, amplissimus ille literariæ reipublicæ senator , erudita præfatione sua ornaverit.*

Verum qui ad Romani sermonis facultatem comparandam studia sua referre constituerunt, ii, solis Grammaticorum præceptionibus & nuda Lexicorum lectione parum profici , facile intelligent.
Dili-

Diligens, adsidua, adcurata optimorum Latinitatis Auctorum lectio accedat oportet, Auditores diligenter observandi. Ille itaque, qui solida Latinæ linguae cognitione pectus suum implere cupit, utiles possidere debet præstantissimorum Auctorum editiones, in quibus & Auctorum verba ex locupletissima philologiae penu recte illustrantur, & antiquitates Romanæ rite explicantur, & copiosi verborum ac phrasium indices adparent. Tales vero elegantioris latinitatis Auctorum editiones Germani certatim hoc saeculo & agmine quasi facto in lucem protulerunt. Cellariahas adnotationes, quibus Nepos, Cicero, Curtius, Plinius egregie illustrati fuerunt, præclara ratione adauxerunt Andreas Stübelius, Christianus Schoettgenius, Io. Christianus Herzogius, & Gotlibius Contius, viri haud vulgaris eruditionis laude conspicui. Io. Georgius Walchius, sacrarum & elegantiorum litterarum hodie in academia lenensi professor clarissimus, novis Phædri, Velleji Paterculi atque Ovidii ab se publicatis editionibus eruditas subjunxit animadver-

madversiones & uberiiores latinitatis indices. Laudatus antea *Stübelius* non solum Nepotem & Curtium eximiis notis instructos in vulgus edidit, sed etiam Buchneri in Nepotem commentarium integratitudine restituit, & latinitatis indicem Buchnerianæ editioni subjunctum tanto studio auxit, ut loco elegantissimæ phraseologicæ eo uti queat juventus. Dittissimum nativæ latinitatis thesaurum in Ciceronis reconditum esse epistolis, omnes confitentur, qui humanioribus litteris justum statuunt pretium: has vero plenissimis observationibus singulari cura explanatas foras dedit *Io. Albertus Bengelius*, vir excellenti eruditione conspicuus. *Christianus Hauffius* tam laudabilem in explicandis Taciti, gravissimi scriptoris, libris collocavit operam, ut se-
ra posteritas turpisimæ negligentia crimine compellari posset, nisi perpetuam pro insigni hoc dono litterario eidem habitura foret gratiam. *Gottliebius Cortius*, ad fabre edolatam *Sallustii* editionem in lucem protulit, qua omnium Batavorum in antiquis auctoribus illustrandis posi-

K

tam

cam industriam non tantum feliciter ex-
equavit, verum etiam quam longissime
superavit. Io. Michaelis Weinrichii, Phi-
lippi Theodori Verpoortennii, Io. Frideri-
ci Weinrichii, Io. Henr. Kromayeri, Gabrie-
lis Schumannni, Casparis Gottschlingii,
Leonh. Christoph. Rühlii, I. F. Reimannni,
Christiani Michaelis Fischbekii, pseudony-
mi Emanuelis Sinceri, Io. Casparis Malt-
schii, C. F. Kocheri, aliorumque labores,
quos ad exponendos antiquos scriptores
contulerunt, grata semper collaudabit
posteritas. Quantum utilitatis ad me-
liorem philologiz Latinæ cognitionem
facilioremque Latinorum auctorum in-
terpretationem accuratior Romanarum
antiquitatum cultura conferat, omnes
norunt, qui de humanioribus studiis ju-
dicum ferre possunt. Verum has quo-
que eleganti ratione exposuerunt collau-
datus supra Hederichius, doctissimus ille
& clarissimus lycei Haynensis rector;
Paulus Christianus Hoepffnerus, qui lycei
Halberstadiensis utilitati præclare con-
sulit; Hieronymus Freyerus, qui pædago-
gio regio Halensi cum laude præst: Io.
Gottli-

Gottlieb Heineccius, celebratissimus ho-
die academiæ Franequeranæ professor;
& *Christ. Gottl. Schvarzius*, illud acade-
miæ Altdorfinae lumen: viri immortali
gloria dignissimi.

Denique philologum latinum perfe-
ctum reddit solida ac firma earum rerum
notitia, quæ de stylo Latino tradi pos-
sunt commode ac debent. Verum comp-
lures hoc saeculo Germania tulit, qui
cum de præcipuis styli Romani virtuti-
bus, puritate, perspicuitate, dignitate &
elegantia, tum de variis styli generibus,
ejusque subsidiis & exercitiis, peculiari-
bus libris exposuerunt. Quæ summe
reverendus *Ioachimus Langius*, Halensis
academiæ theologus celeberrimus, *Chris-
tianus Henr. Weissius*, commemoratus
modo *Heineccius*, & summe reverendus
Io. Laurentius Mosheimus de stylo Latino
adhuc scripserunt, ab omnibus magni-
estimantur, qui de nativo Romanæ lin-
guæ nitore recte judicare valent. *Io.
Christianus Knauthius* beati C. S. Schurz-
fleischii de stylo Romano commentatio-

nes, quæ nunquam antea typis fuerunt exscriptæ, utilissimis augmentis ditatas edidit; quo facto magnam nomini suo conciliavit celebritatem. Anno millesimo septingentesimo vicesimo Vir illustris, Io. Guilielmus Bergerus, præstantissimum librum de naturali pulchritudine orationis Latinæ in lacem emxit, in quo & omnia, quæ de stylo Romano dici unquam ac doceri potuerunt, eruditæ verboseque commonstravit, & singula præcepta continent C. Julii Cæsaris exemplo illustravit; quo opere nomen suum immortalitati commendavit suamque gloriam æternitati consecravit.

O insignia, o luculenta, o præclara quæ Germanorum opera hoc sæculo philologia Latina cepit, incrementa! Eant, eant, licet, Germanici nominis hostes, &, Germanos prisca & nativæ latinitatis expertes de excolenda philologia Latina minus sollicitos esse, clamitent. Animi alacritas, quæ ex serenis frontibus Vestris, Auditores pie colendi, eluet, certissimum mihi præbet testimoniū,

nium, Vos ad meam accesisse sententi-
am, vosque ex iis, quæ hactenus a me
memoriter dicta & summatim tantum
commemorata sunt, aperte maxime nec
sine animi voluptate cognovisse, optimos
carissimæ Germaniæ nostræ cives de
philologia Latina in altius evetenda fasti-
gium optime hoc saeculo esse meritos.
Multos etiam in præsenti in eo lauda-
biliter occupatos esse certo scio, ut omni-
bus commonstrent dilucide, laudatam
sibi curæ esse philologiam. DEVM co-
natus eorum gloria dignos fortunare vo-
lo. Multi profecto in Germania hodie
ad fiduam dare solent operam, ut in ex-
plicandis antiquis scriptoribus perfe-
ctam prodere queant Latini sermonis
peritiam. Augustæ Vindelicorum ex
officina libraria Pauli Kühzii & Halæ
Magdeburgicæ ex officina Rengeriana,
& alibi, in sequenti tempore plures pro-
dibunt Auctores optimi, eruditissimis u-
tilissimisque instructi notis. Quodsi plu-
res imitarentur memorabilem diligenti-
am celeberrimi Io. Matthiæ Gesueri, qui
in *Chrestomathiis suis*, tum *Ciceroniana*

tum *Pliniana*, non verba solum obscuriora ex largissimis philologiæ opibus illustrat, verum artis etiam criticæ, & historiæ pariter atque philosophiæ veteris, faciem adhibet ad res ipsas rectius declarandas; Germanorum industriæ præcipua tribuenda esset palma. Maximis certe efferentur laudibus, qui in excollenda philologia Latina nulli parcent labori. Ille in primis non adolescentes tantum melioribus litteris operantes insigni sibi beneficio devinciet, sed ab omnibus etiam viris vera genuinæ eruditiois laude conspicuis magnam inibit gratiam, qui in *LIVIO* ita illustrando laborem consumet, ut & verbis ejus, quibus nihil potest esse elegantius, nihil gravius, philologicæ animadversiones eaque copiosiores subjungantur, & ditissimus ac plenissimus Latinitatis index adpendicis loco adjiciatur: Livium enim qui per volutavit, se in eo majestatem styli ad imperii & reipublicæ Romanæ majestatem quodammodo exactam in venisse fatebitur; Illæ vero librorum *Livii* editiones, quas celeberrimorum virorum, Iani Gruteri,

Gruteri, Io. Friderici Gronovii & Joannis Clerici industria debemus, parum opis ad locupletandos Latinæ philologiae thesauros conferunt. Nec spes ulla est reliqua, illud *Livianæ Latinitatis Lexicon*, quod jamdudum *Georgius Petrus Schulzius*, eruditissimus academiæ Regionantæ doctor, litteratis promisit, emissum iri in lucem ; quo tamen, si in vulgus id edidisset, haud exiguam nomini suo conciliavisset celebritatem. Optandum quoque esset, ut vir quidam doctus animum ad *M. TERENTII VARRONIS* & *POMPONII MELAE* elegantissimos libros meliori ratione explanandos adpelleret : sic enim futurum esset, ut philologia Latina majoribus adaugeretur incrementis. Ego ipse, si otium postero tempore nactus fuero, non parum studii ad expoliendum *VELLEIVM PATERCVLVM*, explanandum *IVLIVM CAESAREM*, & illustrandum *FLAVIVM EVTROPIVM* conferam ; quo in labore ita versabor, ut primo commonstratus sim, horum scriptorum dictiones apud reliquos quoque purioris Latinitatis

tis auctores inveniri: deinde ut verba integrasque loquendi formulas indicaturus sum, quibus ceteri scriptores easdem res eademque facta expresserint: & ut denique copiosissimos verborum ac phrasium indices, quibus instar Lexicorum & Phraseologiarum uti poterunt bonis litteris operam navantes juvenes, in fine sim adjecturus. DEVS OPTIMVS MAXIMVS, qui ignorare non potest, me omnia mea studia scholarum utilitati consecrasse, mihi que juventutis Salute nihil carius, gratius nihil esse, vires, ut spero, ad hos labores perficiendos necessarias clementissime mihi largietur.

Reliquum est, ut illud, cuius caussa pricipue hanc cathedram hodie descendit, paucis adhuc verbis peragam, &, quo animo illud, quod DIVINI NVMLNIS voluntas SERENISSIMA Eque PRINCIPIS SOPHIAE ALBERTINAE benignitas mihi detulit, munus suscipiam, publice declarem. DEVM, summum omnium bonorum auctorem,

ea,

ea, qua par est, ratione rogo atque obse-
cro, ut eam ingenii facultatem, eam do-
ctrinæ copiam, quam delata mihi huma-
niores litteras docendi provincia postu-
lat, largissime clementissimeque largia-
tur: potentissimum EIVS auxilium ho-
nestis meis & salutaribus conatibus non
defuturum certo confido. Gratias quo-
que ago SERENISSIMAE & modo col-
laudatæ PRINCIPI, quæ jam tutorio no-
mine reipublicæ fasces tenet, quod me,
exschola senatoria, in qua septem annos
Con-Rectoris provinciæ præfui, evoca-
tum, huic , quod solemni ritu jam au-
spicor, muneri, clementissime admove-
rit: atque ex animo opto , ut benignis-
simus omnium rerum opifex sua in IL-
LAM beneficia cumulatius postero tem-
pore augere perseveret , utque Serenis-
simum Principem Heredem ERNE-
STVM FRIDERICVM II. ejusque Sere-
nissimam & excelsis decoribus exsplen-
descentem Conjugem CAROLINAM, ex
incluta Celsissimorum S. R. I. Comitum
Erpacensium stirpe prognatam, atque
universam Serenissimam FAMILIAM

K 5

SAXO-

SAXO - HILDBVRGHVSANAM omnibus felicitatis generibus ornatam, firmissimo tueatur præsidio. Vos vero, clarissimi Professores, quorum ordini adscriptus sum, persuadeatis Vobis velim, me nihil unquam intermissurum, quod adolescentibus fideli nostræ commendatis atque concreditis utilitati esse queat, meque esse hominem concordia amantissimum atque studiosissimum. Et quoniam præter omnem exspectationem in eo gymnasio humaniores disciplinas profiteri jussus sum, in quo duodecim abhinc annis fidelissime iis doctrinis eruditus fui, quibus juvenilis ætas impertiri debet; iis, quibus magistris olim usus sum, qui que me, inopia pressum adolescentem, compluribus beneficiis adfecerunt, debitas publice ago gratias: nominatim Viro amplissimo, GOTTLIBIO STOLLIO, philosophiæ civilis hodie in incluta academia Salana Professori ordinario; ICto Illustri IOANNI MICH. LANGGVTHIO; medico doctrina & usu conspicuo DAVIDIGOTLOBIO FEHMELIO, qui hodienum philo-

philosophiam naturalem in Illustri hoc
 gymnasio cum magno auditorum docet
 emolumento; celeberrimo BONIFACIO
HENRICO EHRENBERGERO, qui sci-
 entias Mathematicas & philosophiam
 primam in Illustri gymnasio Casimiriano,
 quod Coburgi floret, cum insigni audito-
 rum fructu profitetur; beate defuncto
FRIDERICO ADAMO LANGGVTHIO,
 qui sacram theologiam in hac bonarum
 artium officina olim explicuit; viro excel-
 lenti doctrina clarissimo, IAC. BVRCK-
 HARDO, qui fortissimi humanitatis stu-
 diorum vindicis personam praecclare ad-
 huc sustinuit; maxime reverendo
WOLFFG. CHRISTOPH. FÜRSTIO,
 qui jam amplissimo sacrorum Regio-
 montanorum in Franconia antistitis mu-
 nere fungitur; & denique viro doctissi-
 mo **MICHAELI REINMANNO**, a quo
 lingua Hebraica hoc in gymnasio utili-
 ter hodie docetur. Ad vos tandem, ju-
 venes ornatissimi, oratio se mea con-
 verit, Vos enim ii estis, quorum saluti
 consulere ego debeo. Pergite in lauda-
 bili studio, quo in elegantiores litteras
 incumbere coepistis. Perseverate, per-
 seve-

severate, inquam, in ea discendi cupiditate, qua adhuc vos flagrare præ vobis tulistis. Multiplex scenus ex earum litterarum, quæ ab humanitate nomen adeptæ sunt, diligentiori cultura ad quælibet doctrinarum genera omnesque solidioris eruditionis partes provenire solet: sine illis nihil egregium unquam conari, nihil præclarum continuare, nihil eximum perficere poteritis. Quanto amore vos prosequar, perspectum est vobis atque penitus exploratum. Græcos & Latinos Auctores, quos prudentissimus quisque juventuti exponendos imitandosque esse censuit, fructuosa ratione explicabo, & planam, quæ ad artem Poeticam dicit, viam fideliter vobis commonstrabo: meque non solum ducem verum etiam laborum socium ac comitem habebitis. *Labe-*
re *Et industria nemini cedam*, sed omnes potius cum animi dotes tum corporis vires vestro dicabo commodo. Ad summam: ad limpidos humaniorum disciplinarum fontes me vos ducturum, studiosissime sanctissimeque polliceor.

DIXI.

DE

2. Ein C. B. 3590 2260000
ILLUSTRAIS QMNAVN

BRUNNSTINOTRIDE.

RIGIANI

DE NECESSARIO

HVMANIORVM LITTERA-

RVM CVM PHILOSOPHIA.

NEXV

PROGRAMMA

AVCTORE

LAVRENTIO REINHARDO, P.P.

et audiret se in de cibis
et arboribus et animalibus
et operari eorum quae sunt libri
Secundum genitum suum ieruntur
ibidem superlatis in plurimis
motoribus etiam dicitur
eiusmodi: quod sicut
quodque in aliis non possit
sed et sic sicut sicut non possit
omnes, sicut enim sicut non possit
nam in aliis non possit
nam in aliis non possit
omnes.

ILLVSTRIS GYMNASII
ERNESTINO-FRIDE-
RICIANI
DIRECTOR
ET PROFESSORES CETERI
OMNIBVS, QVI HILDBVRGHSVSAE
MELIORIBVS LITTERIS FAVENT,
S. P. D.

Utilissimo utique omnibusque laudibus dignissimo illi ex Germanis perfuncti sunt labore, qui superiore saeculo ad finem vergente civibus suis, quos humanitatis studiorum satietas ferre ceperat, eorum culturam quam diligentissime commendatum iverunt, elegantioresque litteras in pristinam vindicare studuerunt dignitatem: illorum quoque merita nulla unquam apud prudentiores obscurabit oblivio, qui & hoc ipso, in quod nostra ætas incidit, saeculo, omni animi contentione in id incubuerunt, ut Germaniaæ juventutem ad laudata studia majori industria excolenda fidelissime

lissime adhortarentur. Iis enim nemo,
 qui doctorum virorum numero aliquan-
 do adscribi cupit, carere unquam poterit.
 Plurimis iisque gravissimis hoc compro-
 bare possemus argumentis, nisi jam ab
 aliis (*) liquido fuisse confirmatum, &
 res ipsa pro se loqui nobis videretur. Il-
 lud tantum adfirmamus, DEVM, beni-
 gnissimum omnium bonorum aucto-
 rem, priusquam pro immensa sua in ho-
 minum genus misericordia sacram theo-
 logiam a commentis humanis, quibus ea
 depravata antea fuerat, per Martinum
 Lutherum, celebratissimum virum, libe-
 rari atque purgari pateretur, singularis
 eruditionis laude conspicuos excitavisse
 viros, quorum opera, labore ac studio
 elegantiores litteræ ex squalore, in quo
 illæ per aliquot saecula conspurcatæ ja-
 cuerant, erectæ, pristinoque restitutæ
 fuerint nitor. Id quod aperte maxime
 monstrat, & in Christi ecclesiam & in
 rempublicam ex diligentiori humanio-
 rum litterarum cultura plurima redun-
 dare commoda.

Verun-

(*) Videatur Hermanni Buschii *vallum humani-
 tatis*, opera Iacobi Burckhardi, clarissimi no-
 bisque amicissimi viri, an. 1719. iterum editum.

Veruntamen nisi elegantiorum litterarum cultura cum philosophiae studio, ea, qua pars est, ratione conjungatur, exiguum admodum ex illis litterarum studiosa juventus percipere potest utilitatem. Nam quod ad Latinam ac Græcam linguam primum attinet, haec sine philosophia auxilio neque recte intelligi neque commode applicari possunt, cum genuina multarum vocum significatio absque philosophiae notitia recte dignosci nequeat. Quis enim est, qui, ut sententiam nostram exemplis illustremus, CICERONIS, optimi Latinæ linguae magistri, de officiis libros tres, (*) EPICTETI enchiridion philosophiae, (**) FLAVII ARIANI aliorumque præstantissimorum auctorum scripta recte intelligere & ad alio-

(*) Hos sine solida philosophiae & historiae philologicæ notitia explicari haud posse, Frid. Hildebrandus, & Io. Mich. Weinrichius, doctissimi viri, in commentariis, quibus eosdem illustrarunt, comprobatum iverunt.

(**) Philologicis pariter atque philosophicis annotationibus hunc librum illustratum prope diem foras dabit maxime reverendus & doctissimus Io. Conradus Schwarzius, insignis utique Criticus.

aliorum usum interpretari poterit, si philosophia historiæque philosophicæ expers fuerit atque ignarus? Transimus ad artem Criticam, quæ illorum studiorum, quæ ab humanitate nomen adepta sunt, non minima pars est. At nec Criticum sanioris philosophiæ ope carere posse, jam dudum comprobatum dedit vir clarissimus, *Christophorus Augustus Heumanus*,^{***} quem honoris causa nominamus. Quod deinde ad artem Oratoriam attinet, generalia eloquentiæ præcepta ex philosophia rationali, quam *Logicam vulgo appellare consuevimus*, petenda esse, omnes nobiscum fatentur, qui rem omnem accuratius paullo considerant^(****). Quid? quod oratores parum proficiunt, qui non ex intima philosophia rationes suas deducunt, hisque auditores ad suam adducere student sententiam: Et qui solidas philoso-

phiæ

(***) In *commentatione de arte Critica*, parergis *Criticis* Ienæ an. 1712, ab se editis præmissa.

(****) Confirmavit hoc vir celeberrimus *Io. Jacobus Syrbius* & in *institut. philosophiæ primæ Part. I, cap. 5, §. 42.* & in *institution. philos. rationali, Part. II, cap. 9.*

phia^x moralis notitia instructus est, qui que
 civilis philosophia^x, quæ Politica plerum-
 que dicitur, præcepta, eo, quo decet, stu-
 dio, perspexit, is neque in locis, ut vocan-
 tur, topicis, neque in mucidorum quorun-
 dam rhetorum de arte rhetorica libris
 magno cum sudore dicendi quæret mate-
 riam, sed ex locupletissimo illo philoso-
 phia^x thesauro gravissima promere sem-
 per poterit argumenta, quibus auditorum
 animi de rei, quam pertractandam sibi
 sumsit, veritate haud difficulter possunt
 convinci. Ad artem Poeticam ut jam acce-
 damus, ordinis ratio postulat. Et in hac
 generalia eloquentia^x præcepta, quæ ex ra-
 tionali philosophia petenda esse supra ad-
 firmavimus, diligenter observanda sunt:
 quorum in numero hæc tria principem
 locum obtinent, perspicuitas nimirum,
 elegantia & prudentia. In quocunque
 enim carmine hæc minus diligenter ob-
 servata fuere, illud neque cum voluptate
 neque cum fructu legitur; cum tamen,
 Horatii judicio, & prodesse & delectare
 debeant poetæ. Accedit, quod illi non
 splendido poetarum sed abjecto rhytmico-
 graphorum titulo digni sunt, qui talia
 confi-

conficiunt carmina, ut, si argumenta ad convictionem vel saltim ad persuasione idonea in iis velis indagare, Diogenis lucerna quærenda sit. Unde vero plura Poeta deducere poterit argumenta, quam ex copiosissima gravissimarum rationum penu, quam sana ac sobria philosophia suppeditat? Ad *historiarum* denique *studium* ordo nos deducit, quod propter insignem, quam cuilibet præbet, utilitatem nobilissimum merito censetur. Historia commode in sacram, civilem & litterariam dividitur. Sacra de fatis, quæ DEI civitas ac Christi ecclesia inde a mundi initiis ad nostram usque ætatem experta est, exponit: litteraria singularium disciplinarum origines, incrementa pariter atque decrementa commemorat; civilis vero docet, a quibus initiis, quibus rebus, ad quantam magnitudinem regna & republicæ excreverint, quanta potentia illis facta fuerit accessio, & quibus de causis ad interitum deinceps ruerint. De sacra & litteraria historia jam dicere nihil attinet. Tantum in præsenti animus nobis est, breviter comprobare, sine philosophia auxilio nec recte doceri nec

L 2

uti-

utiliter applicari posse historiam civilem. Quam vere hæc dicantur, quilibet haud obscure intelligit. Primo enim ea debet esse totius vitæ speculum, ita, ut, quæ nostro tempore geruntur, tanquam olim gesta intueri, & quid commodum adferat, constituere possimus: in ea igitur ostendatur necesse est, perversos & depravatos hominum affectus sæpius turpes magnarum rerum fuisse caussas; hoc autem sine ope ETHICES fieri haud posse, nemo non intelligit. Deinde ea debet esse optima prudentiæ magistra: in ea itaque monstretur necesse est, quibus in negotiis reges, principes, ac duces a sanis sobriisque genuinæ prudentiæ regulis aberraverint; id vero absque POLITICES beneficio monstrari posse, nemō est, qui adfirmet. In ea denique haud pauca occurrunt, quæ absque adcuratio- ri JURIS NATURÆ ET GENTIUM notitia nec explicari nec dijudicari possunt.

Ex iis, quæ hactenus diximus, non ita obscure intelligetur, humaniorum litterarum cum philosophia nexus maxime esse ne- cessarium. Illi itaque eruditio- nis cupidæ juventutis saluti quam optime consu- lunt,

lunt, qui & humaniores litteras & sobriam
 philosophiam in Gymnasiis & Scholis ce-
 lebrioribus doceri jubent. Bene igitur
 & de fidelissimis civibus ditioni suæ sub-
 jeectis & de omni posteritate meriti sunt
 beatissimi Principes, ERNESTVS & ER-
 NESTVS FRIDERICVS, incluti quon-
 dam Saxonie Duces, qui rebus ad totius
 Germaniae utilitatem præclare gestis no-
 minis sui gloriam immortalitati com-
 mendaverunt ; dum in Illustri hoc Gy-
 mnasio, statim post solemnam inaugura-
 tionem faustissimis auspiciis anno
 MDCC XIV factam, humaniorum litte-
 rarum culturam cum studio eclecticæ
 philosophiæ, quæ ad ductum summe re-
 verendi Io. Franc. Buddei utiliter docetur,
 conjungi clementissime jusserunt. Sere-
 nissima quoque Princeps SOPHIA AL-
 BERTINA, quæ tutorio nomine rempu-
 blicam maxima cum laude administrat,
 eidem Gymnasio non obscure favere per-
 severat, & pro singulari cura, quam de
 ejus salute sustinet, benigne paucis ab-
 hinc diebus effecit, ut in eo docentium
 numerus iterum sit expletus. Novi Pro-
 fessores, Collegæ nostri conjunctissimi,

munera clementissime sibi delata rite suscep-
turi, auspicales, ut vocantur, oratio-
nes crastino die publice habere consti-
tuerunt. His sunt

IO. SAMVEL MAHNIUS,
*Philosophiae primæ & rationalis Prof. Publ.
Ord. atque ecclesiæ Christi & in aulico &
in oppidano templo Diaconus,*
&

LAVRENTIVS REINHARDVS,
*Eloquentie, Græcæ lingue, & Poeseos
Professor Publ. Ord.*

Ille de Abraxa Logicorum & Metaphysico-
rum differet; hic de incrementis, quæ Phi-
lologia Latina inde ab hujus saeculi initio ad
nostram usque etatem opera Germanorum
cepit, verba faciet. Uterque pro Serenissi-
ma Principis & universæ Serenissimæ familij
salute vota simul, nuncupabit. Actum hunc
oratorium ut omnes, qui melioribus litteris &
Illustri huic Gymnasio favent, præsentia sua illu-
strare ac condecorare haud graventur, ea, qua par-
est, ratione rogamus. Amor, quo vos, dilectissimi
Gymnasii hujus Cives, laudatos Professores
prosequimini, confidere nos jubet, vos eorum
orationes auditum frequentes esse conventuros.

P.P. Domin. XVII. post Fest. SS. Trinitatis

A.O.R. M DCCXXVI.

QVID

3inv? Cb 3590

QVID CAVSSAE SIT
CVR IN TANTA LITTERIS
OPERANTIVM
MVLTITVDINE
PAVCI REPERIANTVR VERE
ERVDITI?

PROGRAMMA
AVCTORE
LAURENTIO REINHARDO,
P. P.

152



ILLVSTRIS GYMNASII
ERNESTINO-FRIDE-
RICIANI

DIRECTOR ET PROFESSORES RE-
LIQVI BONARVM LITTERARVM
PATRONIS AC FAVORIBVS, ITEM DI-
LECTISSIMIS VTRIVSQUE COETVS
CIVIBVS SVIS

S. P. D.

Qui scholarum, lyceorum, gymna-
fiorum, & academiarum multi-
tudinem considerat, is facile in
eam adduci posse sententiam, ut, viro-
rum doctorum maximum esse nume-
rum, existimet. Quod si vero quis &
men-

mentis & corporis oculos ad plurimos convertat, qui in scholis, gymnasii & academiis non multum solum temporis, sed multum etiam pecuniae consumserunt, in admirationem abripiatur necesse est, quod in tanta litteris operantium multitudine pauci omnino reperiantur viri vera solidaque eruditione insignes. Si caussas scrutari velis, benevole & amice lector, conjectura quam facillime easdem poteris adsequi; at si earum numerum inire cupias, initium multo facilius quam finem invenire poteris. Nos, qui muneribus scholasticis in Illustri hoc gymnasio fungimur, & quibus idcirco de tali argumento differere licebit, strictim in præsentiarum & summatim ostendere decrevimus, *quid causæ sit, cur in tanta litterarum cultorum multitudine pauci inveniantur viri vere docti?*

Dum accuratius paullo rem omnem perpendimus, miseram scholarum inferiorum constitutionem primo loco ponendam esse censemus. Harum, proh! dolor, plerisque in locis tam lacerata est facies,

L 5

ut

ut gravissimum dolorem adferat & acerbissimas lacrymas extorqueat cordatiōibus. Quales, queso, magistri his plerumque praeſticiuntur? Homines profecto eorum linguarum prorsus ignari, earum disciplinarum penitus expertes, in quarum solida ac plenissima cognitione vel maxime debebant excellere: qui Orbilium, plagosum istum Horatii praeceptorem dicamus, an carnificem? diligenter imitando scholarum utilitati consuli posse temere opinantur: qui ad formanda puerorum ingenia, ad corrigendos corruptos puerilis aetatis mores, haud secus apti sunt ac asinus ad lyram; idque ideo fieri confuevit, quod hujus generis homunciones aut orationes sacras ex suggestu sacro cum delectatione auditorum habere nequeunt, aut inopia adducti munus scholasticum adfectant, quod eo facilius se consequi posse censem, quo minorā in scholis plerisque solent esse salariā. De lectionibus, quæ perverso plerumque ordine & prorsus inutiliter in scholis inferioribus tractantur, si pluribus differere velimus; utiles profecto & necesse.

necessarias adjungere possimus obser-
vationes. At pergendum est ad reli-
quas causas. Priori causæ adiungimus
alteram, *nimirum in litterarum*
studiis festinationem, quod damnosum
maxime vitium ita nostra ætate invaluit,
ut pueri prorsus rudes & vix elemen-
torum Græcæ & Latinæ linguæ gnari in
gymnasia cupiant recipi: quodsi deinde
gymnasiorum civibus adscripti fuerint,
libertate illa, quam tamen emolliendo-
rum morum gratia gloria dignissimi eo-
rum fundatores clementissime largiti
sunt, nefarie abutentes, a diligentiori
earum litterarum, quæ ab humanitate
nomen adeptæ sunt, cultura abhorrent,
adeo, ut exactior styli Latini Romana-
rumque antiquitatum cognitio, philo-
logia Græca, dulcissima Poësis, Historiæ
tum sacræ tum civilis amoenissimum
studium, jucundissimaque scientiarum
Mathematicarum principia, tædio sint
ipsis atque fastidio; quo fieri solet, ut
cruda deinceps studia in academias, ad
quas instar avium celerrime volantium
properare consueverunt, protrudant.

Pro-

Proximum ab nimia hac tentione locum occupat *pestifera*, cui plerique juvenes nostro aeo dediti sunt, *luxuria*: nimius enim theæ, coffeæ, vini, cerevisiæ & tabaci abusus tam vehementer hodie inter litterarum cultores gravatur, ut adolescentes etiam inopia pressi & ad incitas fere redacti plus temporis delegationi ex iis exspectandæ, quam legendis utilibus libris, tribuere haud dubitant; qua luxuria res eo adducitur, ut ad prosequenda litterarum studia redditur prorsus inepti, & ad coemendos necessarios libros nihil illis suppetat pecuniæ. Tribus hisce certissimis cauissimis adnectimus quartam, *defectum cognitionis historiæ litterariæ*, utpote quæ in plerisque gymnasiiis prorsus negliguntur; quam vero hæc sit necessaria, nemo est doctorum, qui non videat atque perspiciat. Optimos libros nosse, quartam certe conficit veræ eruditionis partem; id quod celeberrimus *Christophorus Augustus Heumannus*, quem honorificentissime semper appellamus, in doctis suis de *bibliotheca selecta programma-tibus*

tibus verboso satis commonstravit. Multis inutilibus prorsus libris bibliopolia hodie abundare, nemo nescit; quod si vero juvenis in litterarum studia incumbens utiles ab inutilibus discerne-re nequeat, turpissimos saepissime erro-res pro veritatibus salutaribus arripiat necesse est. Si ex adverso, ut exemplo dicta illustremus, sciat, quis *philosophiam primam* a corruptelis purgaverit eamque integrati ac dignitati sua restituerit? quis optimam conscripserit *Logicam*? quis optimum confecerit *Jurisprudentiae naturalis compendium*? cuius *institutiones Ethicae* reliquis debant praeferri? cuius *institutiones Physicae* summam mereantur laudem? quis optima ediderit philosophia*x* civilis seu *Politices* præcepta? non potest non doctissimus evadere philosophus, si laudis & cognitis libris rite utatur. Hæc vero fructuosa maxime historiæ littorariæ cultura studiis academicis debet præmitti, nisi quis fructu ex ea sperando seipsum temere velit privare. Quintam caussam censemus esse defectum
præpar-

præparationis ad studia academica;
 quæ si ea, qua pars est, diligentia fieret,
 magna atque eximia in litterarum
 cultores ex ea redundaret utilitas.
 Theologiz nimirum studioso, pri-
 usquam relicto gymnasio in academiam
 migret, ostendendum existimamus, qua
 ratione, quo ordine, qua via ad excel-
 lentem sacræ Theologiz notitiam possit
 feliciter pervenire; Jurisprudentiz cul-
 tori monstrandum ante arbitramur,
 quot sint Juridici studii partes, quoque
 ordine illæ sint addiscendæ, quam de stu-
 diis academicis cogitet; ad summam:
methodus studiorum gymnasii civibus de-
bebat monstrari & poni ante oculos.
 Sextam caussam, quam primo loco pone-
 re debuissemus, arbitramur esse *defectum*
abortionum, ad perpetuum ac constans
sinceræ pietatis studium. Pietas prora de-
 bet esse puppisque studiorum nostro-
 rum. Multæ vero sunt scholæ, com-
 plura existunt gymnasia, in quibus na-
 vare quidem operam solent magistri, ut
 pueri pariter atque adolescentes evadant
 doctiores, non vero ut meliores, sanctio-
 res

res & magis pii reddantur. Si vero sinceræ bonarum litterarum cultores & minus fucatae studerent pietati, multo feliores quoque in litterarum studiis facerent progressus. Complures adferre possemus caussas, si instituti nostri ratio id pateretur; præcipuas tamen nominasse sufficiat.

Veniendum est denique ad illum, qui nobis hac de re commentandi occasionem præbuit. Is est

**IO. MICHAEL PETRVS BARTSCHIVS,
HILDBVRGHVSA FRANCVS.**

Juvenis & propter doctrinæ præstantiam & propter morum elegantiam nobis in primis carus. Hic enim, rite adhuc præparatus, cum in celebratissimam academiam Jenensem demigrare constituerit, orationem ἀποβατίζειν perendie publice habebit de Roma sub Imperatoribus litterarum studiis deditis florente; quod argumentum ipse elegit, & eleganter satis pertractavit; quo ipso spem in nobis excitat

vit

vit firmissimam , fore, ut postero tempore in eo, quo cœpit, tramite studiose pergit, & aliquando, studiorum cursu ad finem feliciter perducto, reipublicæ salutarem navare queat operam. quam felicitatem ex animo ipsi adprecamur. Ad ejus vero orationem benevole audientiam ut omnes conveniant, qui in illustri hac urbe litteris favent, & quibus gymnasii hujus flos est in deliciis, ea, qua pars est, obseruentia rogamus atque contendimus, certo confisi, dilectissimos utriusque cœtus cives nostros frequentes adfuturos, carissimumque commilitonem faustis & sinceris votis esse prosecuturos.

P. P. Dominica Palmarum
A. O. R. MDCCXXVII.

LAU-

LAVRENTII REINHARDI

REGIOMONTANI FRANCI

ORATIO

DE INCREMENTIS QVÆ

PHILOLOGIA GRÆCA INDE AB HVIVS SAECVL
I INITIO AD NOSTRAM VSQVE
AETATEM OPERA GERMANO.

RVM CEPIT

DIE XXI. APRILIS MDCCXXVII.

PUBLICE DICTA

IN ILLVSTRI

QVOD VINARIÆ FLORET

GYMNASIO

WILHELMO-ERNESTINO

CVM

DOCENDI IN EO PROVINCIAM

SOLEMNI RITV

SUSCIPERET.

M

ILLV.

ILLVSTRISSIMO HEROI
AC DOMINO,
DOMINO
F R I D E R I C O
G O T T H I L F F I O
M A R S C H A L L O
D I C T O G R E I F F ,

Liberæ S.R.I. nobilitatis Franco-
nicæ Equiti,
Dynaſtæ Einœdii, Erlebachii at-
que Osmanstadii,

Serenissimæ Domus Saxo-Vina-
rienſis Supremo Palati Magistro, Conſi-
liario intimo, Cancellario, ærarii pro-
vincialis Directori, curiæ provincialis
Saxoniciæ, quæ Jenæ eſt, Adſessori, &
præfecturarum Roslenſis & Geb-
ſtadienſis Præſidi,

HEROI

VII

11

HEROI IN TOGA,
Mæcenati nostri ævi benignissi-
mo,
philologiæ & amantissimo
& peritissimo,
Domino suo gratosissimo,
perpetuam felicitatem
constantissimamque salutem
piè precatur
&
brevem hanc orationem
ea, qua par est, animi demis-
sione
D. D. D.

*Laurentius Reinhardus,
Ill. Gymn. Vinar. Collega.
d. xxviii. April. M' DCC XXVII.*



Illusterrime Mæcenas,
 Domine gratosissime,
 Viri Perillustres, Generosissimi,
 Illustres, Summe reverendi, Juris
 consultissimi, Amplissimi,
 Domini atque Patroni benigni,
 Auditores omnium ordinum
 honoratissimi, Fautores
 optimi,
 Nobilissimi, Clarissimi elegantiorum lit-
 terarum doctores, præstantissimique ju-
 ventutis magistri, Collegæ con-
 junctissimi,
*Tuque florentissima in meliorum litterarum
 studia diligenter incumbentis juven-
 tis corona!*

Diu multumque superiori sæculo
 ad finem vergente doctos inter
 viros disceptatum fuit, utrum ve-
 terum

terum an recentiorum pluris aestimanda sit eruditio? Nolo in praesentia istius contentionis historiam verbosius enarrare, cum iis omnibus cognita sit atque perspecta, qui historiarum litterariorum aliquid consecrarunt industria. Quod ad me attinet, si, quid de commemorata controversia sentiam, dicendum sit, libere adfirmare non dubito, & veterum & recentiorum eruditionem magni quidem esse aestimandam; adsidua tamen recentiorum scriptorum industria rem litterariam in eum deductam esse statum, ut si merita, quibus hi singulas veras eruditionis partes in altius evehendas fastigium ornarunt, accuratius paullo consideremus, recentiores scriptores antiquis quam longissime præferri debeant: quid? quod Germanos in permultis solidioris doctrinæ partib⁹ ceterorum regnum incolis palmarum præripuisse censeo. Contemplemini quæso, Auditores venerandi, unum illud, quod viginti & septem abhinc annis auspicato ingressi sumus, sæculum: & in memoriam ea Vobis revocetis, quæ a viris eruditionis laude conspicuis in Ger-

M. 3

mania

mania adhuc gesta sunt. Quis Vestrū
nescit, quantus ad augmentum studii
Theologici Germanorum studio accesser-
it cumulus? Qui ignorat, quam sollici-
ti fuerint & dignitate & doctrina illustres
Juris consulti de exornanda, emendanda,
adaugenda utilissima pariter atque ju-
cundissima Jurisprudentia; is profecto re-
rum novarum expers prossus est atque
ignarus. Medicos si adsimilavero operam
dedisse, ut in ea scientia, quæ rationem
morbis medendi ostendit, partim multa
nova adferrent partim meliora sacerent;
adsensum Vestrū mihi, spero, haud de-
negabitis. Omni philosophiæ hoc sa-
culo Germanorum diligentia plane no-
vam inductam esse faciem, præstantissi-
ma eorum scripta aperte maxime com-
probant. *Joannes Jacobus Syrbius*, insi-
gne illud Jenensis academiæ ornamen-
tum, philosophiam primam a corruptelis,
quibus ea antea deformata fuerat, felici-
ter repurgavit, eamque in veram digni-
tatem pariter atque integratatem strenue
vindicavit: beatus *Ephraimus Gerhardus*
& modo collaudatus *Syrbius rationalem*
philo-

philosophiam quam accuratissime explanarunt: Joannes Melchior Verdriesius & Jo. Fridericus VVuchererus, viri clarissimi, philosophiam naturalem dogmaticam egregio modo adauxerunt; experimentalem vero præstantissimi viri, Martinus Gott-helfsius Lœscherus, Christianus VVolfijs, Herm. Frid. Teichmeierus & Jo. Henr. Müllerus, ad summum fere perfectionis extulerunt fastigium: Perillustris Justus Henningius Bæhmerus & Illustris Michael Henricus Gribnerus utilissima Jurisprudentiæ naturalis præcepta tam eleganter, tam erudite exposuerunt, ut nihil possit supra: Jo. Jacobus Lehmannus & Jo. Fridermannus Schneiderus, ille Jenensis, hic Halensis, uterque inclutus, philosophus, præstantissimas eruditis exhibuerunt Ethicæ institutiones: Julius Bernhardus de Rohr, eques Misnicus & antiquitate generis & doctrinæ præstantia celeberrimus, & doctissimus Jo. Adolphus Hoffmanus philosophiam civilem, quam Politicam adpellare consuevimus, elegantissimis lectuq[ue] dignissimis libris explica-
runt. Reliquos hujus saceruli philoso-

M 4 phos,

phos, quibus magna quoque gloria debetur, silentio lubens prætero. Non minor felicitas studio *philologicō* in Germania hoc sæculo contigit. Quantum ad incrementa studii Hebræo-Biblici Germani adhuc contulerint, peculiari commētatione, anno M DCC XXII. typis exscripta, commēmoravi. Quam faustis fatis Latina philologia hoc sæculo in Germania usā sit, solemni illa oratione breviter exposui, quam superiori anno, cum Græcæ & Latinæ linguae itemque Poeseos professionem in Illustri Gymnasio Ernestino-Fridericiano auspicerer, publice Hildburghusæ habui. Jam vero de incrementis, quæ philologia Græca inde ab hujus sæculi initio ad nostram usque æatem opera Germanorum cepit, verba facere constitui. Cum enim more institutoque majorum sub auspiciū novi, quo in Illustri hoc gymnasio fungi clementissime jussus sum, muneris publice dicendum sit, Græca etiam lingua in hac bonarum artium officina quam diligenter doceri debeat; hoc argumentum, quod minus artificiosa oratione pertractandum

Estandum mihi sumsi, muneri meo scho-
lastico haud inconveniens judicavi. Ut
vero Vos, Auditores pie colendi, audienti-
am mihi benevole præstetis, meamque
in dicendo timiditatem gratia Vestra, qua
nihil potest esse dulcius, favore Vestro,
quo nihil excogitari potest gratius, sub-
levetis, ea, qua deceat, animi demissione,
pietate, & observantia, rogo, obsecro,
atque obtestor.

Accuratio rem historiæ Græci sermonis
cognitionem primam philologizæ Græcæ
partem confidere, nemo est fortasse, qui
negare audeat. Ad hanc vero percen-
sendam industrii quidam viri multum
contulerunt studii. Litterariam cum
Græcorum auctorum tum Græcæ linguæ
historiam aliquot voluminibus comme-
moravit, quibus bibliothecæ Græcæ titulum
præscripsit, Jo. Albertus Fabricius, poly-
histor ille Hamburgensis, cui littera-
tus, qua patet, orbis tantum debet, quan-
tum fere nemini: licet enim celeberrimi-
mus hic vir superiore sæculo extremo
prioris incomparabilis operis tomos jam
foras dederit, hoc tamen, in quod nostra
ætas incedit, sæculo plurimos in publicam

M 5

emisit

emisit lucem, universoque operi nuper
demum finem feliciter imposuit, & sup-
plementa propediem evulgabit. Criticæ
Græci sermonis historiæ primas quasi li-
neas duxit *Ioannes Michael VVeinrichius*,
cujus anima in cœlestem nuper in-
gressa est paradisum, in *anthologia Græ-
ca*, libello de ratione docendarum lit-
terarum humaniorum facillima, quem
patrio sermone conscripsit, adjuncta.
Viam Weinrichio paullo ante monstrave-
rat summe reverendus *Io. Michael Langi-
us*, theologiæ quondam in academia Alt-
dorfina professor, hodie vero sacrorum
Primislaviensium in Marchia antistes, qui
philologiæ barbaro-græcæ, paullo post hu-
jus saeculi initium editæ, doctam admiscuit
dissertationem, qua originem, incremen-
ta, perfectionem, decrementa & restaura-
tionem Græcæ linguae luculenter admo-
dum ostendit. Præcipua quoque hujus
historiæ momenta primo capiti gramma-
tica Græcæ, quæ *Cadmi* titulum præfert, in-
seruit doctissimus *Augustinus Bischoffius*,
cujus obitum scholæ Buttstädtensis alu-
mni acerbe nuper luxerunt. Ego etiam
ipse anno millesimo septingentesimo vi-
cesimo

cesimo quarto peculiari libello, qui *histo-
riæ Græcæ linguae* titulum in fronte gerit,
quæ fata Græcorum sermo expertus sit,
commonstravi, ratus, haud inconvenien-
ter secundum ætates hominum Græci ser-
monis historiam posse considerari; qua
ratione insignis ille Criticus, Olaus Bor-
richius, Romanæ linguae fata jam olim re-
censuit. Brevitatis me in eo studiosum fu-
isse, labenti animo fateor; at, uberiorem
ejusdem illustrationem me brevi tempo-
re prelo traditurum, studiose polliceor.

Proximum a Græcæ linguae historia lo-
cum merito occupant Grammaticæ Græci
sermonis institutiones. Grammaticam ne-
gligere ac despicere velle, est navem
ventis committere non curata pyxide
nautica. Ut autem melioribus uti
possimus praeceptis Grammaticis, Ger-
manorum hoc saeculo effecit indu-
stria, qui certatim & quasi agmine facto
in id omni animi contentione incubue-
runt, ut via ad philologiam Graecam pla-
nior redderetur atque expeditior. Godo-
fredi Steinbrecheri synopsis Grammaticæ
Græcae cum magno doctorum virorum
ad-

ad plausū excepta eit. *Christianus Stockius*, amplissimus academiae Salanae professor, edito litteratore Graeco haud exiguum consecutus est laudem. Hunccepit *Augustinus Bischoffius*, qui licet quidusdam in locis difficultates Grammaticas non extricaverit, sed tricis potius involverit, in multis tamen faciliorem Graecae linguae docendae rationem ostendere studuit. *Io. Christianus Herzogius*, vir de lyceo Cizenſi, in quo correctoris provinciae praefest, praeclare promeritus, Lipsiae rudimenta Graecæ grammaticæ typis exscribenda curavit; in quibus, licet nimio brevitatis studio impeditus parum novi attulerit, eruditis tamen de meliori methodo cogitandi suppeditavit occasionem. *Io. Henr. Schulzius*, medicus doctrina illustris dignissimusque Altorfinae Universitatis professor, patro sermone composuit Graecæ grammaticæ synopsin, quae sumtibus orphanotrophei Halensis edita est, quaeque omnia praecepta perspicue admodum exposita exhibet. Non ita multo post *Io. Paulus Gumprechtius*, clarissimus lycei Laubanensis in

in Lusatia rector, *florilegium Græcæ linguae* litteratis exhibuit: in quo, sat spisso, volume ea fere omnia explanata reperiuntur, quae ab iis Grammaticis, qui Gumprechtium aetate antecesserunt, tradita sunt atque proposita, Anno millesimo septingentesimo decimo quinto Wolfenbütteli in lucem emissa est nova sermonis Graecorum Grammatica; de cuius auctore discrepant doctorum virorum conjecturae: alii enim celeberrimum Abbatem Joannem Fabricium eam confessi autumant, alii Wæchnerum quemdam adductum Hermanni von der Hardt hortante Fabricio eandem compilasse perhibent. Etsi vero, quis verus ac genuinus illius auctor sit, nescio, neque omnia præcepta etymologica, ab eo prolata, mihi probantur; adfirmare tamen haud dubito, syntacticas ejusdem regulas in Græcam philologiam incumbenti juventuti multum adferre utilitatis. Quid ego in elementis Græcæ linguae, superiori anno a me evulgatis, præstiterim, quidve novi attulerim, illis dijudicandum relinquo, qui et qui sunt prudentesque scholasticorum libro-

librorum estimatores. Complures quoque Germanorum in explicandis certis quibusdam Græcæ grammatices capitibus haud parum posuerunt operæ. Georgius Wilhelmus Kirchmaierus, amplissimus academiæ Wittembergensis professor, de germana Græcarum vocum pronunciatione item de orthographia Græca doctas edidit commentationes: Benjaminus Hederichius, clarissimus scholæ Haynensis rector, de utroque argumento copiose satis & non sine magno eruditio-
nis adparatu exposuit in elegantissimo pariter atque utilissimo de doctrinis philologicis libro: Jo. Matthias Gesnerus, cuius præclara, quibus Illustre hoc Gymnasium ornavit adhuc & ornare etiamnum perseverat, merita optimus quisque magnis effert laudibus, anomala Græci sermonis verba philologia Græcæ operam navantibus pueris insigni ratione reddidit faciliora intellectu; cuius de ver-
bis anomalis commentationem tantum quod vidi, mirifica persussum sum lætitia, qua adductus eandem integrum grammatica meæ inserui: Georgius Fridericus Hen-

Heupelius, vir eruditissimus, Græcarum dialectorum proprietates singulare libello accurate monstravit. Equis ignorat, quantum studii, quantum opera celeberrimus *Christianus Schoettigenius* in *Lamberti Bosii libro de Græcæ ellipseos mysterio* eruditis accessionibus locupletando locaverit? Quem, quæ so, fugit, quantam diligentiam *Ludolphus Küsterus*, Lippiensis Westphalus, in confiendo utilissimo de *usu verborum mediorum* libro adhibuerit? in quo etiam genuinam plurimorum verborum significationem quam evidenter indicavit. Doctissimus *Adamus Erdmannus Mirus* in illo libro, qui *der vermeynte Griechische Ketzer* primum inscribebatur, multa quoque protulit, quæ lectu sunt dignissima, licet nimis magno innovandi pruritu abreptus haud pauca rejecerit, quæ damnanda non sunt; quo factum, ut is a quibusdam grammaticæ heresios crimine compellatus fuerit.

Præterea qui Græcæ evadere cupit peritus philologiæ, is copiosis ac utilibus Lexicis carere nequit. Olaus Borrichius, certissimum illud non Hafniensis solum

lum academiarum sed totius etiam Daniæ de-
 cens, superiori sæculo graviter questus est,
 nondum tutum patere iter in Lexicis
Græcis; nostra vero aetate ista haud am-
 plius opus esse querela, ex iis, quae jam a
 me commemorabuntur, quilibet facilil-
 me intelliget. *Jo. Henr. Lederlinus*, ce-
 leberrimus Argentoratensis academiae
 professor, in auctendo perpoliendoque
 Julii Pollucis *Onomastico* plurimum fi-
 xit industriae. Quantam diligentiam
 doctissimus *Christianus Schoettgenius* in
 id aliquot abhinc annis contulerit, ut
 Georgii Pasoris *Lexicon curis suis emen-*
 datius doctisque suis observationibus
 pariter atque additionibus auctius pro-
 dire potuerit, nemo est, qui nesciat: hoc
 praecipue egit laudatus *Schoettgenius*,
 ut eorum vocabulorum earumque locu-
 tionum duxerit rationem, quae in Grae-
 ca veteris foederis versione, a LXX. In-
 terpretibus confecta, occurrunt, & ut illas
 novi foederis locutiones, quas ad Re-
 formatorum errores confirmandos Pa-
 sor, præjudicio sectæ adductus, detor-
 quere conatus fuit, singulari dignissimo-
 que

que laudibus studio vindicaverit. *Benjaminus Hederichius*, cuius jam supra a me injecta est mentio, anno millesimo septingentesimo vicesimo secundo Lipsiae typis exscribendum curavit novum Lexicon Graecum, in tres partes, analyticam nempe, hermeneuticam atque syntheticam, divisum: quod propter eximiam, quam bonarum litterarum cultoribus praebet, utilitatem peculiari longe dignissimum est commendatione. *Christianum Stockium*, haud vulgaris doctrinae virum, paucis abhinc annis clavem linguae sanctae Novi Testamenti Jenae typis excudendam curasse, Vestrum praterit neminem: si molem hujus libri consideraveritis, Auditores diligentissime observandi, eam quidem non nimis magnam deprehendetis; at si commoda, quae ex diligentiori ejus lectione emanant, respexeritis, permultis Lexicis eundem librum preferendum esse sine dubio censebitis. *Fridericus Strunzii*, cuius insignem eruditionem multi admirati sunt, Jani Rutgersii Glossarium graecum non tantum penitus restituic

N

suae-

suaeque vindicavit origini, sed doctissimi-
mis etiam illustravit adnotationibus.
Martini Casparis Wolffburgii observatio-
nes sacras in novum fœdus, anno millesi-
mo septingentesimo decimo septimo fo-
ras datas, in Lexicorum numerum re-
ferre ideo non dubito, quod in iis exhi-
bentur adnotationes critico-philologi-
cae in plerasque novi fœderis voces,
alphabetico, ut loqui solemus, ordine
digestæ; quæ ad feliciorem meliorem-
que sacrarum litterarum interpretationem
plurimum porrigit subsidii. Ti-
ronum quoque utilitatibus salutari ma-
xime ratione consulere hoc saeculo stu-
duerunt celeberrimus noster *Jo. Matthias*
Gesnerus & eruditissimus *Gottliebius Fri-*
dericus Peckius: ille beati Friderici Mühl-
eri indicem vocabulorum in N. T. oc-
currentium laudabili studio ditionem
plenioremque reddidit; hic ad modum
libri memorialis Latinitatis probatæ,
quem beati Christophori Cellarii diligen-
tiæ debemus, Græcæ linguæ librum me-
morialem composuit, quem dignissimum
existimo, qui a pueris Græcarum litera-
rum

rum studiosis diurna nocturnaque verferunt manu. Lexicographis illos etiam adjungo, qui de Græcæ linguæ particulis venustoque earum usu luculenter hoc saeculo exposuerunt. Collaudatus supra Schulzius grammaticæ suæ utilissimas de Græcis particulis inferuit observationes: Christianus Stockius in interprete Græco tam erudite, tam copiose Græci sermonis explicuit particulæ, ut vere mihi videar posse contendere, neminem unquam exstitisse, qui ad explicandas adverbiorum, præpositionum & conjunctionum rationes plus contulerit laboris: Jo. Conradus Schwarzius, celebratissimus Criticus, in luculentis animadversionibus, quibus præstantissimum beati Joannis Olearii de stylo N.T. librum locupletavit, plurima de Græcis particulis scitu necessaria protulit, quæ fructu alibi quæsiveritis, Auditores pie colendi.

Verum qui philologiæ Græcæ sua consecrare constituerunt studia, ii, solis Grammaticorum regulis nudaque Lexicorum lectione ad metam sibi propositam

N 2

per-

perveniri haud posse, facile cognoscent. Celeberrimus Italus, Jacobus Facciolatus, peculiari oratione comprobatum dicit, eos ab recta aberrare via, qui Grammaticorum tantum præceptis adjuti Romanis sermonis facultatem sibi comparare cupiunt. Profecto, Auditores venerandi, non minus iit turpiter errant, qui Græcæ philologiæ copiam ex Grammaticis ac Lexicis solum hauriri posse opinantur. Diligens, adsidua, accurata optimorum optimæ græcitatis Auctorum lectio Auctorum lectio accedit oportet, lectio accedit oportet, Patroni atque Fautores diligentissime observandi. Ille itaque, qui solida Græcarum litterarum cognitione mentem suam excolere contendit, utiles ad manum habere debet præstantissimorum elegantioris græcitatis Auctorum editiones, aaque ad earum lectiōnem multum referre studii. Tales autem Græcorum scriptorum editiones a Germanis solidioris doctrinæ laude conspicuius in publicam adhuc emissas esse lucem, nemo est fortasse Vestrum, quem fugiat. *Io. Christophorus Wolffius*, cuius innu-

innumerabilia in rempublicam litterariam
 merita grata semper collaudabit, si
 qua futura est, posteritas non solum The-
 ophili, episcopi Antiocheni, libros tres ad
 Autolycum, & Libanii epistolas selectas
 eximiis notis instruxit, verum etiam *Anecdota Græca* tum sacra tum profana, ali-
 quot voluminibns comprehensa, doctis-
 que observationibus illustrata, evulgavit.
 Beatus *Godefredus Olearius*, cuius viri glo-
 riam nulla unquam obscurabit oblivio, in
 illustrandis utriusque Philostrati scriptis
 multum collocavit operæ. *Jo. Albertus*
Fabricius, quem honorifice doctissimus
 quisq; adpellat, magnam ab eruditis iniit
 gratiam, quod in explanandis Hippolyti
 & Sexti Empirici operibus tantum posuit
 industria. Ditissimum nativæ græcitatis
 thesaurum in Chrysostomi libris sex de
 Sacerdotio & in Gregorii Thaumaturgi
Panegyrico reconditum esse, confitentur
 omnes, quibus purioris Græcitatis ratio-
 nes cognitæ sunt atque perspectæ: u-
 trumque autem scriptum eruditis suis
 notis egregie explicatum foras dedit *Jo.*
Albertus Bengelius, elegantiorum littera-

rum in lyceo Denckendorfiano magister.
Christianus Schoettgenius novæ epistolarum Themistoclis ab se publicatæ editioni eruditas adjecit adnotaciones & uberiorem subjunxit Græcarum locutionum indicem. *Jo. Henr. Lederlinus* aliorum in Ælianum pariter atque Homerum observationes non nitidissimis tantum exscribi iussit typis, sed suis eiam adauxit aditamentis. Neque laudibus suis privari debet illa selectarum Libanii epistolarum editio, quam acceptam referimus beato *Bartholomæo Christiano Richardo*, cuius viri, cum in vivis adhuc esset, eximiam præstantissimæ eruditonis copiam Vos, Auditores omnium ordinum honoratissimi, singulari prosecuti estis amore. Collaudatus antea *Gesnerus* omnia Luciani opera eximiis animadversionibus illustrata brevi tempore foras dabit: futurum esse non tantum spero sed etiam certo perspectum exploratumque habeo, ut pro nova hacce scriptorum Luciani editione universi litteratorum cœtus mirificas illi publice agat gratias; illius certe adnotaciones, quibus Luciani dialogum, cui Philopatridis

tridis inditum est nomen, anno millesimo
septingentesimo decimo quinto instruxit,
cum magno doctorum virorum exceptæ
sunt plausu. Celeberrimus *Christoph. Augustus Heumannus*, amplissimus ille litterariorum reipublicæ senator, *Plutarchi de institutione puerorum libellum*, curis suis expolitum, propediem prelo tradet. *Jo. Henr. Kromayerus*, vir clarissimus mihi-
que amicissimus, *Musæi Grammatici de Hero & Leandro poema & suis & aliorum*, nominatim *Heumanni*, *Gesneri*, *Schœttgenii*, animadversionibus illustratum edidit. *Leonhardus Christophorus Rüblius* & *Augustinus Bischoffius* ad expli-
candam *Cebetis tabulam plurimum contulerunt laboris*. Doctissimi etiam viri,
quorum summam gloriam nulla unquam extinguet ætas, *Ernestus Salomo Cyprianus*, *Ludolphus Küsterus*, *Jo. Georgius Pritius*, *Christianus Reineccius*, de ecu-
dendis expoliendisque novis sacri codicis novi fœderis editionibus laudabili maxi-
me ratione fuerunt solliciti.

Quantum commodi ad meliorem phi-
lologicæ Græcæ cognitionem, feliciorem-

N 4

que

que Græcorum auctorum interpretationem, accurasierat Græcarum antiquitatum cultura conferat, nemo ignorat eorum, qui de humanioribus studiis æquum ferre possunt judicium. Verum has quoque eleganti jucundaque ratione exposuit clarissimus *Paulus Christianus Hæppnerus*, in libello, cui *Græciæ antiquæ* titulum præscripsit. *Schærtgenius*, Gymnasi Star-gardiensis rector, in eam nunc incumbere dicitur curam, ut *Lamberti Bosii* compendium Græcarum antiquitatum suis additamentis instructum auctius prodire queat. Et *Jo. Godofredus Lakemacherus*, Græcarum litterarum in academia Julia Professor eruditissimus, non tantum in observationibus suis philologicis quædam Græcarum antiquitatum capita clariora nuper cœpit reddere, verum etiam integrum syntagma Græcarum antiquitatum propediem litterato orbi exhibebit.

Ad Græcani denique philologiam pertinet sine dubio solida ac firma eorum omnium notitia, quæ cum de stylo Novi Testamenti Græci tum de stylo LXX. Interpretum tradi possunt ac debent. At per-

permultos Germania, dulcisima atque carissima nostra patria, hoc tulit saeculo, qui non solum de dictione novi fœderis & LXX. Interpretum generatim exposuerunt, sed etiam plurimas Evangelistarum Apostolorumque locutiones ex reliquis scriptoribus Græcis explanarunt illustraruntque. *Jo. Henricus Michaelis*, celeberrimus in Fridericana, quæ Halæ Magdeburgicæ floret, academia Theologiae professor, una cum *Georgio Jo. Henkio*, quem diem suum obiisse novimus, quæ stylis scriptorum N. T. pariter atque LXX. Interpretum virtutes sint, duabus iisque eruditissimis dissertationibus perspicue maxime ostendit, Maxime reverendus *Jo. Conr. Schwarzius* in doctis suis, quibus Olearii de stylo N. T. librum exornavit & adauxit, adnotationibus, præstantissimam esse Evangelistarum Apostolorumque dictiōnē, exemplis luculentis commōdavit, & novæ huic editioni peculiarem de stylo LXX. Interpretum dissertationem, magno studio ab se conscriptam, inseruit. *Georgius Wilhelmus Kirchmaier* non tantum singulari commentatione

N 5

puri-

puritatem styli N. T. contra eos vindicavit, qui Chaldaismos, Syriaismos & Latinismos, eidem temere adsingunt; sed verbosum etiam de integra sermonis novi fœderis structuralib⁹ confecit, quem propediem prelo committet. *Georgius Raphelius*, venerabilis apud Lüneburgen-
 ses sacrorum antistes, ex Xenophonte,
 Arriano & Polybio plerasque N. T. phra-
 ses explanavit. *Clarisimus Jo. Henr.*
von Seelen aliquot locutiones in novi fœ-
 deris libris occurrentes ex Plutarcho il-
 lustravit: & commemoratus modo Kirch-
 maierus ex Polybio ad interpretandas ali-
 quoit Novi Testamenti phrases aliquid at-
 tulit subsidii. Illi quoque viri excellen-
 tis eruditionis gloria maxime insignes,
 qui sacras adhuc addiderunt observatio-
 nes, nominatim *Valent. Ernestus Læsche-*
rus, *Godfredus Olearius*, *Io. Henr. Majus* fi-
 lius, *Salomo Deylingius*, *Henr. Benedictus*
Starckius, *Laurentius Müllerus*, *Georgius*
Ludovicus Oederus, aliique multa novi fœ-
 deris loca clariora reddiderunt & magis
 perspicua; id quod & illi fecerunt, qui ad-
 huc eruditis aliquot dissertationibus quæ-
 dam

dam sanctissimi voluminis dicta explicarunt, quorum principes sunt summe reverendi viri *Io. Franciscus Buddeus*, *Christianus Frid. Bærnerus*, *Martinus Chladeanus* *Io. Wilhelmus Baierus* filius, *Io. Laurentius Moshemius*, & *Io. Georgius Walchius*: quibus nuper accessit *Io. Reinhardus Russius*, amplissimus Jenensis academiae professor, qui in *nova quatuor Evangelistarum harmonia Graecae philologise rationem* habuit quam studiosissime. Omnis um tandem talibus in rebus diligentiam quam longissime superavit celeberrimus Hamburgensium Theologus, *Io. Christophorus Wolffius*, in praestantissimo opere, quod *curarum criticarum & philologarum in N. T. titulum in fronte gerit*, quod que omnes omnium Philologorum in singula novi testamenti commata observationes breviter enarratas exhibit. Prior tantum utilissimi libri tomus jam quidem doctorum virorum manibus teritur; alter vero in nundinis solemnibus, quae Lipsiae propediem celebrabuntur, in publicam prodibit lucem. Ex iis, quae strictim hactenus a me commemorata sunt, haud obscure, spero, intellexisti.

Audi-

Auditores pie colendi, philologiam Græcam inde ab hujus sæculi initio ad nostram usque ætatem opera Germanorum magna cepisse incrementa. Ut ea Germaniæ felicitas obtingat, optimi ejus cives ab eo, quo adhuc in Græcam philologiam incubuerunt, ardore nunquam desistant, est, quod in mente sincera precor.

Reliquum est, ut illud denique, cuius causa præcipue hanc cathedram concendi, paucis adhuc verbis peragam. Gratias ago benignissimo omnium rerum conditori, DEO OPTIMO MAXIMO, cuius sapientissima providentia mearum rationes ita direxit, ut in inclutam hanc urbem Hildburghausa demigrare jussus fuerim: eumque castis faustisque supplex veneror precibus, ut & animi dotes & corporis vires, quas mihi pro infinita sua misericordia largitus est, quasque utilitatibus scholarum dum dicavi, corroboret atque adaugeat. Gratias deinde ago SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO WILHELMO ERNESTO, Duci Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ, Mon-

Montium, Angariæ atque Westphaliæ,
Landgravio Thuringiæ, Marchioni Mi-
sniæ, Principalis dignitatis Comiti Hen-
nebergiæ, Comiti Marcæ & Ravensber-
gæ, Dynastæ Ravensteinii, PRINCIPI PIO,
AVGVSTO, FELICI, IVSTO, ERVDITO, PATRI
PATRIAЕ LONGE CLEMENTISSIMO: Hic
enim pro se pariter atque *Serenissimo*
Principe ac Domino, Domino ERNESTO
AVGVSTO, Duce Saxoniæ, Juliaci, Cli-
viæ, Montium, Angariæ atque Westpha-
liæ, reliqua, clementissimum mandatum
dedit, ut docendi in Illustri hoc Gymna-
sio provinciam mihi fuerit delata. Deum
quotidie piis rogabo precationibus, ut
Serenissimo WILHELMO ERNESTO,
cujus nominis gloria propter res præcla-
rissime gestas, propter rem publicam fe-
licitissime administratam, propter veram
religionem fortissime defensam, propter
illustre hoc Musarum domicilium sapien-
tissime constitutum, per plerasque orbis
terrarum partes volitavit & in iis postero
tempore habitabit, omnia TANTI PRIN-
CIPIS desideriis digna bona largissi-
me largiatur, quo omnibus summae
felici-

felicitatis generibus cumulatus quam plurimos adhuc venturos annos transfigere constantique civium ditioni Elus subjectorum saluti consulere queat. Opto quoque, ut Serenissimus ERNESTVS AVGVSTVS ea omnia in posterum sentiat, quæ animum Elus exhilarare eique dulcissimas adferre possunt delectationes, & ut nihil unquam EI obtingat, quod felicitati laudati PRINCIPIS possit adversari, utque SERENISSIMA EIUSDEM PROLES in certissimam patriæ spem splendidissimumque Germaniaꝝ ornamentum feliciter efflorescat.

ILLVSTRISSIMO, Per illustribus, Generosisimis atque Illustribus aulæ Saxo-Ducalis Proceribus, Excellentissimisque Senatus Ecclesiastici supremi Consiliariis perpetuam incolumentatem & faustissima quæque summum Numen ex meis votis impetratur, eorumque consiliis prosperos largiatur successus: ob per honorificum, quod coram SERENISSIMO PATRIAE PATRE de me tulerunt, judicium, me iis devotissimum esse, lubens profiteor; studio-

fissime-

fissimeque polliceor, me omnem in id
collaturum esse operam, ut spem, quam
de me conceperunt, si non superare, feli-
citer certe adimplere possum.

*Amplissimo etiam spectatissimoque hu-
jus civitatis Senatui pro insigni, quo me
complexus est, favore gratum publice
declaro animum, atque precor, ut im-
mortalis DEVS ab univerla civitate, cui is
non sine laude præst, omnem propulset
calamitatem.*

Ad vos denique, clarissimi doctissimique
Illustris hujus Gymnasii doctores bonarum-
que litterarum magistri, oratio se mea
convertit. Excellentem, quam quidam
vestrum litterato orbi comprobarunt,
doctrinam ingenti dudum existimatione
veneratus sum. Persuadeatis vobis ve-
lim, me impense semper daturum esse
operam, ut nemini vestrum vel minima a
me adferatur molesta, utque in perpe-
tuo sincerae amicitiaz cultu nihil unquam
esse mihi possit impedimento.


TV

TV vero, O BONE DEVS! sine quo ir-
riti sunt nostri conatus, sine quo frustra-
nei sunt nostri labores, TV, quæso, pro
immensa TVA gratia effice, ut in hac
bonarum artium officina omnisque li-
beralis doctrinæ sede cum veræ pietatis
tum genuinæ eruditionis semper habeat-
ur ratio, utque Illustris hujus Gymnasii
flos nullo unquam tempore languescat
decrescatve, sed ut indies potius illud au-
geatur, & ad summum tandem feli-
citatris fastigium adscendat.

D I X I.

ERRATA.

Pagina quarta versu 15. lege *bæ*: & p. II. v. 3.
lege *receptæ*; & interea doctissimis corre-
ctoribus mecum age gracias. Iterum vale.



cb 3590 m

X2425152



LAVRENTII REINHARDI

INSTITUTIONES

STYLI LATINI.

ACCESSERVNT

ORATIONES DVAE

DE

INCREMENTIS, QVÆ LATINA ET GRÆCA PHILOLOGIA IN GERMANIA SÆCVLO XVIII.

CEPIT, Volkmarus Conrad
ET TOTIDEM Brodtkorb
1729. coriol.

PROGRAMMATA

SELECTI ARGVMENTI.

FRURTI & LIPSIAE.

M DCC XXVIII.